



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Cap. Lib. Primi sunt XXVIII. De tertio præcepto Decalogi. Memento vt Diem  
Sabbati sanctifices.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**

1

IOANNIS AZORII  
LORCITANI, E SOCIE-  
TATE IESV;

INSTITUTIONVM MORALIVM

PARS SECVNDA.

LIBER PRIMVS.

INTERTIVM DECALOGI

PRÆCEPTVM.

Memento vt diem Sabbati sanctifices.

CAPVT PRIMVM.

De varia in sacris literis significatione  
Sabbati.

**R**IMO quaeritur, Quid hoc præceptum Decalogi præscribat? Respondeo ex ijs, quæ habet Catechismus Romanus, & docet quoque S. Thomas *Secunda secunda quaest. 122. art. 5.* externum quendam cultum: quem Deo rerum omnium auctori debemus. Nam primi mandati, quo vter-

que cultus, interior & exterior Deo debitus præcipitur, hic est quidam veluti fructus quem enim mente atque animo, inde, & spe adducti, pie ac religiose veneramus & colimus, cum quoque exteriori cultu honoramus, eique gratias debitas agimus. Et quoniam rerum humanarum rarj. ac multis occupationibus & curis distracti præpedimur, ita vt non facile hæc quæ diximus, diuinæ pietatis officij præstemus: certum ac definitum tempus statutum est, quo ea commode obire possimus: ac proinde, hoc præcepto certa tempora constituntur, quibus externum Deo cultum & honorem grato animo & voluntate tribuamus. Alexander 3. *part. quaest. 32. memb. 1. c. 2.* S. Thomas *Secunda secunda, quaest. 122. art. 4.* Catechismus Romanus.

Secundo quaeritur, Quoniam differat hoc præceptum, à cæteris Decalogi præceptis? Et an hoc præceptum sit iuris naturalis, & sit præceptum morale? Respondeo ex Alexandro 3. *part. quaest. 32. memb. 2.* & S. Thom. *Secunda secunda, quaest. 122. art. 4. ad 1.* in eo differre, quod reliqua sunt iuris naturalis, sive iuris Gentium præcepta, & proinde perpetua, nec deleri, mutariue vlla ratione possunt. Quo factum est, vt quamuis lex Moyſis abrogata, sublataque sit, omnia tamen alia præcepta, quæ duabus tabulis continentur, populus Christianus seruet: non quia Moyſes ita iusserit, sed quia naturæ conueniant, cuius ductu & instinctu homines ad illa seruanda impelluntur.

Hoc autem de sabbati cultu præceptum, si statutum tempus spectetur, non fixum semper & constans est, sed mutabile: neque pertinet ad mores iuris naturalis, sed ad caeremonias Dei voluntate institutas. Quare naturale præceptum non est: neque enim à natura ad id educti & instituti sumus, vt sabbato, hoc est, septimo hebdomadæ die potius, quam alio tempore cultum Deo debitum deferamus. Ex eo tamen tempore, quo populus Israeliticus à duro Pharaonis imperio & seruitute est liberatus, diem sabbati coluit. Conuenit igitur hoc præcep-

2

ptum cum reliquis, non quod ritum & caeremoniam contineat, sed eo quod habeat, & præscribat aliquid, quod ad mortis naturæque iura spectet. Externus enim Dei cultus, qui hoc præcepto præscribitur, à natura lege, & iure existit; cum illud sit natura comparatum, vt tempus aliquod ijs, quæ ad Dei cultum pertinent, opportune & liberaliter demus. Apud Gentès & nationes omnes, statas quidam ferias, easque publicas, & solemnes legitimus fuisse, quæ feriendis victimis, sacris diuinisque rebus obeandis conseruatae erant, in quibusque litium & iurgiorum liberis hominibus, & seruis operum ac laborum vacatio dabatur. Nam quemadmodum S. Thomas teste loco citato, certum tempus necessarijs rerum functionibus natura tribuit, veluti corporis quieti, somno & cæteris eiusmodi, sed eodem naturæ instinctu factum est, vt sicut corpori, sic etiam menti aliquid temporis concedamus. Ac vt cæteris profanis rebus, & negocijs certa, & determinata sunt tempora, quibus peragantur: ita æquum quoque fuit aliquid temporis cultui rerum diuinarum impendi, quo mens & animus sese in his exerceat, sequerehiciat in Dei contemplatione acquiescens. Hoc itaque præceptum, quod partim ad mores, & naturæ iura pertinet, partim ad caeremonias, sublatum est Christi morte, quatenus ritus & caeremonias veteris, & scriptæ legis continebat: perpetuo vero manet, vt est præceptum iure naturali, & lumine constitutum.

Tertio quaeritur, An apud eos, qui sub lege naturæ vixerunt ante legem Moyſi diuinitus datam, sabbati cultus, & celebritas fuerit? Dux sunt opinionones: Prima est, quorundam affirmantium, etiam eo tempore sublatum, vt diem sacrum & festum Hebræos coluisse. Sic Catharinus in *cap. 2. Genesis*, eo quod *Genes. 2.* dicitur: *Et benedixit (Deus) diei septimo & sanctificauit illum.* Vbi particula (&) secundo loco posita, more Hebræo sumitur pro, id est: exponit enim, quid significet, benedixit: id est, sanctam & celebrem haberi voluit. Vel: *sanctificauit illum*, id est, à cæteris diebus segregauit: voluit illam septimum diem sibi tribui, & d. cari: voluit, vt in eo ab omni opere cessaremus, eccllesijs & diuinis rebus intenti, & Deo gratias agentes pro beneficijs acceptis. Sanctificare, aliquando in sacris literis est, aliquid segregare Deo: hoc est ab usu communi & profano seuocare, diuinis vltibus destinatum. Ergo, inquit, statim septimus dies sanctus haberi cepit. Si illis obijcias, in lege veteri (vt patet Exodus 12. 16. 20. & Leuit. 23.) præceptum esse datum de sabbato colendo, ergo antea non colebatur: Respondent, ante legem scriptam, sabbatum coli solitum fuisse: sed Moyſes postea iussu Dei illum coli, & obseruari imperauit, quia apud Hebræos longa, & dura in Ægypto seruitute oppresos, in desuetudinem, iam eius diei cultus abierat, & illum Moyſes scripta lege restituit. Ita

prima opinio. Secunda, quam Abulensis in cap. Genes. 2. quaest. 4. communi consensu recepta, negat ante legem datam sabbati cultum fuisse: quoniam Exod. 16. aperte Moyses diem septimum coli, & sanctum haberi iubet: ergo antea non colebatur. Et quod dicitur Genes. 2. *Et benedixit dies septimo, & sanctificauit illum*: dictum esse per Anticipationem: sicut multa in sacris litteris per eandem dicta referuntur. Aliqui Patres pro hac opinione aperte facere videtur. Damascenus lib. 4. *Fidei Orthodoxe* c. 24. ait: *Nam cum nec lex esset, nec scriptura diuinitus inspirata, nec sabbatum quidem Deo consecratum*. Idem ante Damascenum, tradiderat Eusebius lib. 7. *Historia Eccles.* cap. 4. & ante eum quoque Tertullianus in lib. *aduersus Iudaeos*, ca. 2. Iustinus Martyr in *Dialogo cum Tryphone*, Irenaeus. lib. 4. *aduersus haereses* cap. 30.

Hæc videtur esse verior sententia, quamquam secundum aliquos improbabile non est, sabbati cultum ante legem Moysi datam, seruatum fuisse apud Hebræos: non quidem vilius legis scriptæ necessitate, sed Maiorum instituto, & more, & instinctu Dei. Nam alia legis scriptæ præcepta ante Moysen sub lege naturæ apud Hebræos seruabantur, fortassis instituta, & traditione Maiorum Abraham Gen. 14. decimas soluit: Iacob Gen. 28. se eas soluturum promisit: Abel Genes. 4. primogenita obtulit. Noe Gene. 7. infra 9. mundos cibos ab immondis separauit, nec sanguinem edit, vel Dei instinctu, afflatu & verbo non scripto, sed tradito: vel Maiorum more & instituto, non ad id compellente lege scripta. Sed non est, cur à communi quam dixi, sententia recedamus.

Quarto quaeritur, Quo pacto præceptum, & lex de sabbati cultu fuerit antiquata & deleta, cum Deus Exod. 31. de ea statuerit. Pactum est sempiternum: signumque perpetuum? & sæpe in scripturis dixerit: sabbatum, sacerdotium, aliosque Iudæorum ritus esse pacta, & signa perpetuo duratura, & legem Moysi caeremonias continentem, semper seruata 12. Exod. 2. præcipit Deus: *Celebrabitis hunc diem solemnem in generationibus vestris cultu sempiterno*. Christus idem Dominus dixit, se non venisse vt legem solueret, sed vt impleteret. Vetus fuit Ebionitarum error, Christianos seruare oportere sabbatum simul & diem Dominicum: vt refert Euseb. lib. 2. *Histor. Eccl.* cap. 21. quem errorem Gregorius Magi tempore, quidam licet iam ante extinctum, renouabant: vt ipse scripsit lib. 17. *Registr. epist.* 3. & refertur e. *Peruenit de Const.* Dist. 3. Respondeo, veteris legis caeremonias fuisse typicas Christi figuras, & mysticas lucis, & veritatis imagines: quare illud necesse erat, vt lucis & veritatis, quæ est Christus Dominus, aduentu remouerentur. Tenebræ enim, lucis accessu non mutantur, sed tolluntur: locus possessore vacuus, corporis aduentu repletur, nec mutatur: ita etiam typus, adueniente eo, cuius similitudinem gerit, commode cessat. Veteris itaque legis caeremoniæ desierunt Christi morte: & Deus prædixerat quidem eas perpetuo duraturas, quatenus non erant in alias denuo caeremonias commutandæ, tametsi aduentu lucis & veritatis cessatura, cum essent ad id diuinitus instituta, & Christus dixerit se non venisse, vt legem solueret, sed vt impleteret: quia lex erat eius typus & figura, imago & umbra. Venit igitur, & legem impleuit: sicut lux suo lumine perfusum complet aërem tenebris excussis: & corpus locum possessore vacuum, & veritas vaticinia longe ante diuinitus prænunciata: Impleuit etiam Christus legem, non soluit, quoniam eam toto suæ vitæ tempore sua sponte & voluntate, non legis necessitate seruauit.

Quinto quaeritur, Quid significet sabbatum? Respondeo. Laetantium lib. 7. *Disiunctum institut.* cap. 14. tradidisse, sabbatum dici à numero septem dierum hebdomadæ, ita vt sabbatum dictum sit quasi septimus hebdomadæ dies. Sedah enim apud Hebræos significat septem. Iustinus historicus suum Trogum secutus lib. 36. scribit.

Moses cum septem dierum ieiunio per desertam Arabiam cum populo suo defatigatus in montem Syrium tandem peruenisset, septimum diem more Genes. sabbatum appellatum, in omne æuum, ieiunio sacrauit. Idem quoque tradit Tacitus lib. 5. *historiarum*. Plutarchus idem teste Cælio lib. 14. ca. 15. ait dictum esse sabbatum à verbo Græco, *Σαββαδον* quod Græcis idem est quod Latinis, more bacchantium tripudiare: vnde Bacchus Græce dictus est *Σαββας*. Apollon Grammaticus à Alexandrinus, teste Iosepho lib. 2. *contra Apionem*, scripsit, Hebræos ex Ægypto redeuntes in quinum vicerib. laborasse, qui morbus Ægyptijs sabbo dicitur, & die septimo eo morbo tentatos quiescisse, ideoque ab illis sabbatum appellatum. Sed hæc omnia sunt à vero aliena. Est enim sabbatum nomen Hebraicum: porro Hebræis verbum Sabbat significat quiescere, & ab operando cessare. Est igitur dictum sabbatum, quia septimo die cessauit Deus ab omni opere quod fecerat. Sic enim Gen. 2. legimus: *Complensque Deus die septimo opus quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod parauerat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo*.

Sexto quaeritur, Quot modis sabbatum in sacris litteris accipiatur? Respondeo, sumi primo pro septimo die hebdomadæ, in quo Deus quiescit, postquam vniuersam mundi machinam ex nihilo procreata omni ex parte perfecit. Deinde accipitur per Synecdochen, (qua parte totum intelligi solet) pro hebdomada: etenim in vnaqueque hebdomada est sabbatum vnum: sicut apud Latinos ætas, vel hyems accipitur pro auuo, quia Iuliani constantina ætate, & hyeme. Vnde illud Pharisæi apud Lucam: *Ieiunio bis in sabbato*, id est, in hebdomada Leuit. 23. *Numerabis*, inquit, *septem hebdomadas plenas*, in Hebræo textu legitur, *septem sabbata integra*, Leuitici item 25. *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum*. Hebræa lectio habet: *Septem sabbata annorum*. Et ca. 23. eiusdem libri: *vigine ad alteram diem expirationis hebdomadae septima*. in codicibus Hebraicis dicitur: *sabbati septimi*. Postremo sumi solet sabbatum pro quolibet die festo: in quo veteris Legis præscripto vacandum ac suspendendum erat publicis, priuatisque civilibus operibus, quales erant dies Paschæ, Pentecostes & Tabernaculorum. Leuit. 23. legitur: *A vespere ad vespere celebrabis sabbata vestra*: id est, festos dies vestros: Ibidem quoque: *Altero die sabbati*: id est, in crastinum Paschæ. Rursus: *Numerabis ergo ab altero die sabbati*. id est à crastino die Paschæ. Insuper dies decima septimi mensis appellatur ibi sabbatum, cum dicitur [sabbatum requietionis est]. Prima itidem dies eiusdem septimi vocatur sabbatum, cum dicitur: [Mense septimo prima die mensis erit vobis sabbatum memoriale.] Denique ibidem de festo Tabernaculorum scribitur: *Die prima, & die octaua erit sabbatum quasi diceret, erit vobis dies festus*; n quo ab omni opere & feruili actione cessabit.

Septimo quaeritur, an sabbatum sumatur etiam pro reliquis hebdomadæ diebus? Quidam: vt Iansenius in *Concordia Evangelica*, cap. 37. censent, sic interdum accipi quod probant: Quoniam Euangelistæ dicunt aliquando vnam sabbatorum, hoc est, primam diem eorum, qui per hebdomadam decurrunt. Item quia Hieronymus ad Hebidiā scribens, ait: *vna sabbati dies, Dominica intelligenda est, quia omnis hebdomada in sabbatum, & in primam, & secundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & sextam sabbati diuiditur: quam Ethnici Idolorum, & Planetarum nominibus, appellant*. Sic etiam Augustinus in epist. ad Casulanum, quæ est nu. 86. & in 2. *Sal.* 93. Theophylactus, Euthymius in *Matth.* 28. Nicephorus lib. 1. *Hist. Eccl.* cap. 33. Inno in titulo *Psalm.* 47. Græci legunt *tertia sabbati*, & Augustinus in titulo *Psalm.* 80. legit: *Quarta sabbati*: Vnde primam, secundam, & tertiam sabbati perinde dici aiunt, ac si diceretur; Prima dies hebdomadæ, secunda ac tertia, & sic deinceps. Ceterum hæc sententia quibusdam

Mat. 9.

Ibid.

non placet. nam Hieronymus, inquit, solum docet, reliquos hebdomadae dies à Sabbato appellari, nimirum primam, secundam, & tertiam, & quartam sabbati, hoc est, primam, secundam & tertiam, à sabbato, siue post sabbatum, siue prima sabbati, hoc est, prima dies, hebdomadae: secunda sabbati, hoc est secunda dies hebdomadae: ita ut sabbatum tunc sumatur, vel pro hebdomada, vel pro septimo hebdomadae die: Item in Evangeliorum, inquit, codicibus saepe legimus, una sabbati, ut Matt. 26. & 28. Luca 24. Io. 20. Act. 20. & 1. ad Cor. 16. Nunquam tamen in sacris litteris legimus secundam, tertiam, vel quartam sabbati. Rursus aiunt vbi-  
 canque Latini codices noui Testamenti habent, vnam sabbati, Graeci legunt, vnam sabbatorum, vbi est Hebraeus: nam more Hebraeo vnum sumitur pro primo, iuxta illud: Factum est vespere & mane dies vnus, id est, primus: & alibi: In generatione vna delatur nomen eius, hoc est: Non perueniat ad secundam generationem memoria eius, sed statim in prima generatione extinguitur, ac pereat. Et proinde dicta est vna sabbatorum, id est, prima, & sabbata tunc accipiuntur pro certis quibusdam diebus, videlicet Paschaliibus, qui quoniam erant caeteris diebus solemniores & celebrioris, sabbata dicebantur, quoniam dies festi non essent. Mihi prima sententia, quae communis est, magis probatur: eo quod sabbatum, ut dixi, accipitur aliquando pro hebdomada, & proinde prima, vel secunda sabbati est dies prima, vel secunda hebdomadae. Et vna sabbatorum est prima dies omnium dierum in hebdomada, qui sabbata dicuntur.

Quaeritur, An cum in numero multitudinis dicitur vna sabbatorum, aut etiam quippiam esse, aut factum esse in sabbatis nomine sabbatorum, intelligantur omnes dies hebdomadae, ita ut sensus sit. In vna sabbatorum, hoc est, in prima dierum hebdomadae: in sabbatis, hoc est, in vno dierum hebdomadae. Theophyl. Euthy. Nicepho. locis citatis, nomine sabbatorum existimant significari omnes dies hebdomadae, quoniam multitudinis numero significari videntur simul plures dies esse consequentes. Quibusdam tamen verisimilius visetur, quod alij doctores, in praedictis vtriusque Testamenti locis sabbata dici, non dies omnes hebdomadae, sed certos quosdam dies caeteris solemniores & celebrioris, & sensum esse vnum ex tribus: nempe, aut significari omnes dies azymorum, qui duobus festis diebus, siue sabbatis clauderentur, nimirum die Paschae, qui incidebat in Lunam 14. Martij, & septimo die a Paschate. Et ita sabbata dici videntur quinq; dies intermedij, eo quod sunt dies duobus sabbatis clausi. Aut sabbata dicuntur per Hebraicum plurali numero pro singulari sumpto, sabbata, hoc est, vnum ex sabbatis, nimirum festis, qui incidunt septimo quoque die hebdomadae, vel alij festis, sicut cum dicitur Iudic. 11. in Latina editione: Sepulcrum est in civitate sua Galaad, Hebraice habetur: sepulcrum est in vrbibus Galaad, hoc est, in vna ex vrbibus; sic etiam alibi dicitur: Inducat Presbyteros, hoc est, vnum aliquem de presbyteris. Aut tertio sabbata dicuntur per alium Hebraicum, quo Hebraei uti solent numero multitudinis, ad significandam abundantiam & copiam. Cum enim duo festi dies simul concurrebant, dicebantur sabbata, hoc est, magnum sabbatum: & ita fortassis dies quinq; azymorum proxime sequentes diem festum Paschae, dicebantur sabbata, hoc est, solemnis & celebres: non quod essent dies festi, sed quod incidere in Paschale tempus, & essent quasi Paschales dies, & duobus festis dieb. clauderentur.

Et ideo cum in nouo Testamento Graece dicitur, vna sabbatorum: perinde est ac si diceretur, die azymorum prima, & proxima post festum Paschae: quae dies, anno quo passus Christus Dominus est in diem Dominicum incidit: & proinde Evangelistae aiunt, eum resurrexisse vna sabbatorum. Sed mihi placet commu-

nis opinio prima sabbatorum, hoc est, prima dierum hebdomadae:

Non quaeritur, Quidnam intelligatur eo in loco apud Lucam: Cum transiret Dominus sabbato secundo primo, per facta discipulis eius vellebant spicas. & Matth. 12. Graece legitur: Cum transiret in sabbatis: Adeo difficilis Sancto Hieronymo visa est quaestio, Quid sabbatum secundo primum significet: ut in epistola ad Neposianum haec scripserit: Atria frons interpretatur saepe, quod nescis: & cum alijs persuaferit, sibi quoque usurpat scientiam. Praeceptor quondam meus Gregorius Nazianz. rogatus à me, ut exponeret quid sibi vellet in Luca sabbatum, Ieriticae genti secundo primum, eleganter iussit: Dotebo te, inquis super hac re in Ecclesia, in qua, mihi omni populo acclamante, cogis inuisus scire quod nescis: aut certe si solus sacerdos, solus ab omnibus stultitia condemnaberis. Haec ille. Veteres interpretes varie exposuere hunc locum S. Ambrosius & Beda nomine sabbati secundo primum, per allegoriam intelligunt Evangelium Christi, quod quia successit legi Moyse, dicitur secundum: quia vero Lege excellentius, dicitur primum. Sed hic sensus ad mysterium, non ad historiam pertinet. S. Chrysostomus Homil. 40. in Mattheum, existimat esse sabbatum, quod septimo quoque die Iudaei colebant, in quod tamen incidebat alius quoque dies festus: ita ut dicatur sabbatum secundo primum, id est, semel & iterum principale, siue duplici ratione & causa praecipuum. Sic etiam S. Epiphanius in haeresi 30. & 31. & Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 110. At Theophylactus intelligit septimum hebdomadae diem, qui aliquando diem festum cadentem in Parasceuen proxime sequebatur: ita ut sabbatum secundo primum, idem sit ac secundo principale: quia commune sabbatum seorsum per se erat principale: quando vero alium diem festum proxime sequebatur, erat secundo principale. Alij censent intelligi debere diem septimum Azymorum, qui colebatur, ut festus. Leuit. 23. ita ut prima dies Azymorum, qui festus quoque erat, diceretur sabbatum primo primum: & septima, sabbatum secundo primum. Euthymius intelligit primum diem Azymorum post diem festum Paschae: ita ut dies Paschae diceretur sabbatum primum, & primus dies Azymorum post illum diem festum Paschae, sabbatum secundo primum.

In hac profecto quaestione illud tanquam certum poni debet, Sabbatum secundo primum fuisse septimum diem hebdomadae: quia Iudaei Christi discipulos accusarunt, eo quod vellent, & confricarent spicas tibi causa: at hoc solum erat prohibitum in die septimo hebdomadae, non alijs in diebus festis. Deinde inter omnes conuenit, illud sabbatum in mensem Aprilem, aut Maium incidisse, quando erant spicae: quae falluntur, qui intelligunt, diem octauum festum tabernaculorum, ita ut prima dies esset sabbatum primo primum: nam hic solennis & festus dies mense Septembri colebatur.

Mihi verisimile admodum apparet id, quod alij tradiderunt: quod ut intelligamus, sciendum est ex libro Leuitici cap. 23. ab altero die sabbati, id est, Paschae nimirum à decima sexta Luna post festum Paschae, quod colebatur decima quinta Luna Martij iussu Dei, numerabantur septem hebdomadae dierum integrae, quae efficiunt quadraginta nouem dies: & die proxime sequenti eas septem hebdomadas colebatur dies festus, qui dicebatur septem hebdomadarum, & Graece Pentecostes, qui cadebat in diem quinquagesimum post Pascha. Ab ea computatione septem hebdomadarum coepit vsus introduci ad Hebraeos, ut hebdomada prima ab altero, id est, secundo die post Pascha diceretur; Graece quidem hebdomada Ieriticae genti, Latine secundo prima, hoc est, prima à secunda die post Pascha, & secunda hebdomada dicebatur secundo secunda, id est, secunda à secundo die Paschae: & tertia, secundo tertia, id est, tertia à secundo die post Pascha. Et sic ab illo secundo die nominabantur caeterae suo ordine vsque ad septimam & vlti-

Luc. 6.

Gen. 1. P. 138.

Iac. 5.

nam quæ antecedeat proxime Pentecosten. Et sicut septem illæ hebdomadæ nominabantur ab eo die, sic computabantur quoque ab eodem secundo die post Pascha singula septem sabbata septem hebdomadarum vsque ad Pentecosten: & primum sabbatum dicebatur: secundo primum, id est, a secundo die post Pascha; primum secundum autem, secundo secundum, id est, secundum a secundo die post Pascha: tertium secundo tertium, id est, tertium a secundo die post Pascha: & ita reliqua sabbata suo ordine vsque ad septimum & vltimum sabbatum ante Pentecosten vocabantur. Cadebat autem secundo primum in aliquem diem mensis Aprilis decimum sextum, decimum septimum, vel vigesimum tardius, aut citius, prout dies ille post Pascha occurrebat: & proinde spicæ eo tempore reperiebantur, quæ velli, conficari, edique possent. Quo factum est, vt recte Sanctus Mattheus cap. 22. & Sanctus Marcus cap. 2. Græce dixerint: *Cum transiret Dominus in sabbatis*: quasi dicere voluerint per Hebraismum, in vno ex illis septem sabbatis, quæ a secundo die post Pascha vsque ad Pentecosten occurrunt.

Decimo quaeritur, Quidnam significet S. Mattheus illis verbis: *Vespera autem sabbati, qua lucefcit in prima sabbati*. vbi quatuor insunt explicatu difficilia: Primum, quomodo dicatur vespera quæ lucefcit, cum potius vespera incipiat noctem, & tenebras inducere; vnde dicendum esset, vesperæ, quæ nocte sunt in prima sabbati. Alterum est, An eodem modo Mattheus sumat sabbatum, cum semel atque iterum dicit: *Vespera autem sabbati, qua lucefcit in prima sabbati*, Tertium vero, Quinam verum sit secundum eundem Euangelistam, sceminas vespera sabbati ad Dominicum sepulchrum venisse: cum ex alijs Euangelistis perspicuum sit eas venisse diluculo in die vna sabbatorum, id est, Dominica? Postremum, quomodo dixerit Euangelista. *Vespera autem sabbati*, cum illa vespera non ad sabbatum, sed diem proxime sequentem pertineret: siquidem festi dies numerabantur a vespera in vesperam, Leuit. 23. Animaduertendum est, apud S. Mattheum Græce dicit: *vespera autem sabbatorum*, quæ lucefcit in vna sabbatorum: & vt paulo ante dixi sabbata Euangelistæ appellant: vel duos dies festos simul concurrentes: vt cum in diem septimum, hebdomadæ simul incidebat alius dies festus: ita vt illud sabbatum dicatur numero multitudinis sabbata per Hebraismum, id est, magnum ac celebre sabbatum, quoniam duplici cultu honorabatur: Aut sabbata vocant Euangelistæ, quinque illos dies Azymorum, interiectos inter dies Paschæ, qui dicebatur sabbatum, hoc est festus dies, & septimum diem, qui vt festus tanquam primus colebatur: Aut sabbata appellant omnes dies Azymorum, quoniam tamen quinque intermedij non erant festi, soleannes tamen ex parte erant ob frequentiam Iudæorum, & quia in Paschale tempus incidebant, quasi vocarentur Paschales dies: & sabbata dicebantur, quia claudebantur duobus sabbatis. Aut sabbata dicuntur dies hebdomadæ. Apud Hebræos insuper, dies præsertim festus viginti quatuor horarum, computari incipiebat a vespera vnus diei vsque ad vesperam sequentis diei, id est ab vno occasu solis ad sequentem occasum. Et ideo dixit Moses: *Factum est vespere & mane dies vnus*; quasi diceret: Facta est nox & dies, & proinde integer dies primus viginti quatuor horarum. Præterea apud Hebræos vt, significat lucem, sed non solum eam, quæ ex presentia solis existit, sed totum etiam tempus quod constat viginti quatuor horis: & ita lucefcere, idem significat, quod diem fieri, seu, vt sic dicam, diefcere. Vt patet ex Luca d. cente: *Dies erat Parasceues, & sabbatum illicucebat*, vbi Lucas loquitur de eo tempore, quo Domini corpus inuolutum findone in monumento positum est, quod accidit in die Parasceues prope solis abscellum. Est igitur sensus horum verborum Lucæ: *Adhuc erat dies Parasceues, & sabbatum illicucebat*, id est, prope erat initium sabbati; siue, iam iam appetebat dies sabbati, qui dies incipiebat a vespera, hoc est ab ipso solis occasu.

His positis: sensus Matthæi est, vel iuxta communem Interpretum sententiam: Noctæ sabbati, id est, diei septimi in hebdomada. Vel iuxta aliorum opinionem. *Vespera sabbatorum*, vt habet Græca lectio, Occidente scilicet iam Sole in die sabbati, in quem simul inciderat vnus dies Azymorum, qui quamuis festus non erat, quia tamen solemnitas & celestis erat, sabbatum vocabatur, ac proinde incidens in sabbatum commune hebdomadæ, illud reddebat maximè solemne. Et ideo dicit Mattheus: *Vespera sabbatorum*, hoc est, maximi, & celeberrimi sabbati. *Qua lucefcit in prima sabbati*. Id est, secundum communem, aliorum intelligentium, Noctæ sabbati, appetente iam ortu solis. Vel vt alij interpretantur. *Qua lucefcit in prima sabbatorum*. Hoc est, A qua incipit prima dies sabbatorum, quæ erat dies Dominica proxime sequens sabbata, ac proinde prima a sabbatis, hoc est, a magno sabbato, vel *Qua lucefcit in prima sabbatorum*, hoc est, In prima dierum Paschalium, siue Azymorum post sabbatum magnum. Vel *Vespera sabbatorum*, id est, Noctæ vnus ex sabbatis, siue ex diebus Paschalibus. *Qua lucefcit in prima sabbatorum*, hoc est, Appetente iam luce diei primæ post sabbatum magnum. Item: *Vespera sabbati*, hoc est, vespera sabbati magni, siue nocte, a qua incipit prima dies sabbatorum, hoc est, *Qua lucefcit in prima sabbatorum*, hoc est, appropinquante iam luce prima diei post sabbatum. Vel Hebræo more, lucefcere, idem est quod diem incipere: incipit autem diei naturalis viginti quatuor horarum ab vno occasu solis vsque ad alterum solis occasum. Vel *vna sabbatorum*. Hoc est, prima die illorum sabbatorum, videlicet dierum Paschalium, in quibus panes Azymi comedebantur. Vnde lucefcere, hic, vel sumitur, vt plerisque visum est, pro eo quod Latini dicunt, incipere ortum solis, quasi dicat Mattheus, *Vespera sabbati*, id est, Noctæ sabbati, (*qua lucefcit in prima sabbati*) id est, Appropinquante iam luce prima diei: vel, vt dixi, more hebræo, lucefcere, idem est, quod diem incipere: incipit autem dies ab vno occasu vsque ad alterum solis occasum. Item communis sententia, sabbatum primo loco accipit pro septimo die hebdomadæ: secundo loco accipit pro hebdomada: ita vt sensus sit, In nocte sabbati ad auroram primæ diei hebdomadæ venerunt mulieres: & quia vna vespera est finis diei præcedentis, & initium sequentis, merito dixit Euangelista. *Vespera qua lucefcit in prima sabbati*, hoc est, in nocte terminante sabbatum, appropinquante prima die hebdomadæ. Vel sabbatum vtrobique sumitur pro hebdomada, & sensus est, In nocte vnus ex sabbatis, hoc est, vnus diei hebdomadæ, apparente iam luce primæ diei hebdomadæ.

Postremo Mattheus (vt ego quidem reor) significat, sceminas ex vespera ad sepulchrum conuenisse: hoc enim non repugnat tribus Euangelistis, quia significat, eas sese præparasse ea vespera emendo aromata, vt summo mane vngerent corpus Iesu, paucis enim verbis implicite dixit, quod clarius explicauit Marcus: *Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalena, Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt vengerent Iesum*. Itaq; sensus verborum Matthæi est, in nocte sabbati aduentante luce primæ diei hebdomadæ: vel in nocte sabbati, cum incipit prima dies hebdomadæ.

Vnde decimo quaeritur, An sabbatum nunc etiam vna cum die Dominica obseruari & coli debeat? Ebionitæ, vt ante iam dixi teste Eusebio lib. 3. *Histor. Eccles. c. 31.* putabant, Christianos colere debere sabbatum cum Dominica, quia Exod. 31. de sabbato dixit Deus pactum esse sempiternum, signumque perpetuum. Deinde quia Apostoli sabbatum coluerunt. Act. enim 20. dicitur: *Vna sabbatorum, cum conuenissemus ad frangendum panem.* & 1. ad Corin. 16. *Per vnam sabbati, ait B. Paulus, vnusquisque apud se ponat.* & Act. 13. Paulus die sabbati disputabat in Synagoga cum Iudæis. Insuper, Orientales Christiani vna cum Dominica

labbaram colunt, vt constat ex Graecis scriptoribus, & ex eo, quod in Quadragesimo ieiunio, quod proxime ante Pascha suscipitur, sabbato & die Dominica ieiunium non seruatur, retinentes illud quod est in Canone 65. Apostolorum: *si quis sabbatum aut sabbatum vno solo dempto ieiunare desprehendatur, deponitur, si Clericus sit: si laicus, & communionis eiecitur.* Et illud quod in Canone 655. Synodi Trullanae deccernitur. *Quoniam intelleximus in Romanorum ciuitate in sancto Quadragesima diebus, in eius sabbatis ieiunare, prater Ecclesia traditam consuetudinem: sancta Synodo visum est, vt in Romanorum Ecclesia Canon inconcusso obstat, qui dicit: Si quis Clericus inuentus fuerit in Sancto Dominico die, vel sabbato ieiunans, prater vnum & solum deponatur: si autem laicus, segregetur.* Illud item S. Ignacij in epist. ad Phil. quae est num. 8. *Quicumque Dominicam vel sabbatum ieiunauerit prater sabbatum Pasche, ipse est Christi interfector.* Refert quoque Clem. lib. 7. *Constitutio. Apostol. ca. 24. Nylscus in Orations quibus habuit aduersus eos, qui a gre seiebant reprehensions. Anastasius Nicenus lib. Questionum, q. 77. Socrates lib. 6. ca. 8. sabbatum, & diem Dominicum tanquam festos coli. Postremo in ca. Licet, de Ferijs ex Alexandro III. dicitur: *Licet tam veteris, quam noui Testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem specialiter deputauerit. Et tam cum quam alios dies Maiestate altissima deputatos.**

Ceterum error est manifestus, asserere, sabbatum vna cum Dominica die esse à Christianis tanquam diem festum colendum. Nam Paulus, vt constat ad Rom. 14. Gal. 4. & Coloss. 2. aperte reprehendit obseruatores sabbati: Et in Concilio Laodicensi cap. 29. anathemate feriuntur, qui Sabbatum colunt, & in eo tanquam in die festo vacant ab operibus. Gregorius item lib. 11. Regist. epist. 3. hunc errorem confutat; & ait inter cetera: *Antichristum reuocaturam sabbati cultum iam antiquum: & habetur hoc in cap. Peruenit, De Consec. Dist. 3.*

Ad ea vero quae sunt obiecta, Respondeo: Quod ad primum attinet, supra explicui, quo pacto intelligi debeat quod in lege Moysis scriptum est, Sabbati cultum esse sempiternum. Ad secundum, Respondeo, Aperte salli Calanum cum omnibus suis asseclis, ijs in locis Apostoli vnam sabbati intelligentem sabbatum, quod colebatur a Iudaeis: est enim ibi Hebraismus, qui est apud Euangelistas, cum aiunt, Christum resurrexisse vna sabbati, id est, prima die hebdomadae, vt interpretes passim exponunt. Aut sicut alij intelligunt, Prima die post sabbatum: Aut, sicut alij interpretantur, prima die azy-morum proxime sequente sabbatum, quod magnum & celebre sabbatum fuerat, eo quod in illud inciderat eo anno, quo mortuus est Christus, dies vnus azy-morum, qui tanquam Paschales solennes, & celebres erant, & sabbata vocabantur, & ita Chyristomus, & qui vti putatur Ambrosius, Beda, Theophyl. etus in commentar. 1. ad Corinth. 16. vnam sabbati apud Paulam interpretantur die n Dominicam, Quod autem Apostolus die sabbati disputare cum Iudaeis in Synagogis soleret: non id faciebat, vt sabbatum coleret, sed quis non erat commodius aliud tempus ad disputandum. Iudaei enim singulis sabbatis in Synagogas conueniebant, & Prophetiarum vaticinia audiebant, vt constat ex historia Actuum Apostolorum. Ad tertium, Respondeo Graecos à Latinis differre in cultu, & obseruatione sabbati, sicut etiam in multis alijs ritibus & caeremoniis: in Graecia enim, immo & in toto Oriente, retenta est sabbati obseruatio, & prohibita in eo die ieiunium, praterquam in sabbato Pasche: contra vero, Latinorum Ecclesia nunquam sabbatum coluit, sed potius in eo ieiunium seruauit: vt constat Ex Innocentio I. epist. 1. cap. 4. S. Augustino epist. 86. Calliano collat. 3. c. 10. S. Hieronymo epist. ad Lucianum, 28. Causa vero huius differentiae fuit, quia in Oriente initio nascentis Ecclesiae viguerunt haereses quorundam, qui vetus testamentum execrabantur tanquam à Deo auctore mali con-

ditum, & proinde sabbati cultum plane a perobantur; eique de causa tali die ieiunium suscipiebant. Christiani vero Orientalis hanc haeresim detestati, vt Deum ipsum veteris testamenti actorem profiterentur, ceperunt antiquum Sabbati cultum retinere, non quod illud more Iudaeorum colerent, sed ne cum haereticis conuenire, scire, aut facere viderentur. In Oriente itidem primis illis temporibus erant multi Iudaei ad Christi religionem conuersi, qui tamen quadam animi simplicitate putabant sabbatum vna cum die Dominica in honore habendum; ceteri vero Christiani, ne eos conturbarent, sabbatum colebant, non quod putarent reuera id fieri oportere, sed vt communem omnium tranquillitatem & salutem summa qua possent ope & studio promouerent. Vno vero sabbato Pasche ieiunium seruabant, vt memoriam retinerent sponsi à Discipulis ablati, qui dixerat: *Cum ablatu fuerit sponsus, tunc ieiunabunt.* In Occidente vero, quia eiusmodi error, ac haeresis, aut exorta non erat, aut saltem radices non egerat, sabbati cultus seruatus nunquam fuit, & singulis sabbatis ieiunium obseruabatur: vt eo quasi simbolo iudicaretur Apostolorum tristitia, qua sunt affecti ob mortem, & sepulturam Magistri.

Ad vltimum vero quod ex e. Licet, desumptum est, Glossa respondet, Sabbatum vna cum Dominica die debere colligijta vtriusque testamenti Scripturam, secundum spiritum, non secundum literam. Quidam cum P. fauel, ver. Dominica dies. §. 1. in additione: septimum diem dicunt esse, vel sabbatum in veteri testamento, vel Dominicum diem in nouo: in quem diem sabbatum translatum est. Mihi tamen non admodum placet Glossae sententia, quonia Pontificis responsum sensum mystico exponit, non literali. Sensus igitur Pontificis germanus hic est, non quod vtriusque testamenti pagina tradiderit sabbatum nunc coli oportere, cum id sit contra id, quod habetur in e. Peruenit, de consec. di. 3. sed quod tum ex veteri Testamento; tum ex vita, & factis Christi, quae referuntur in nouo, doceamur, sabbato honorem & cultum esse delatum. Historia enim Euangelica Christum Dominum refert sabbatum, & alias veteris legis caeremonias seruasse, dum vixit: quae tamen ipsius morte petiere.

Mat. 9.

CAP. II

De diei Dominica cultu & obseruatione.

PRIMO quaeritur, quam vetus & antiqua sit diei Dominica obseruatio? Respondeo, antiquissimam esse: Et certe videtur is dies inter omnes festos solemnesque dies apud Christianos primus fuisse. Nam Apostoli statim principio Ecclesiae eum diem, vt festum videntur instituisse, ac de eo locutus esse videtur Ioannes in Apocalypsi, cap. 1. cum ait: *Fui in Spiritu in Dominica die.* Vbi Occumenius, Beda, Chyristomus, Anselmus, ac ceteri omnes interpretes Catholici hunc diem Dominicum intelligunt: sicut etiam 1. ad Corinth. 16. & Actuum 20. vnam sabbati interpretantur diem Dominicam Chyrist. Ambro. Theophyl. Beda, Anselm. Sedulius, Primianus. Hanc diem colitam fuisse testantur antiquissimi Ecclesiae scriptores, S. Ignatius ad Maguesianos, & ad Philippum, Iustin. in Apolog. 2. Orig. Homil. 7. in Exod. Hieronym. ad Gal. 4. Ambro. Epist. 83. & Augustin. contra Adimantium cap. 16.

Secundo quaeritur, An diei Dominicae obseruatio & cultus, sit iuris Diuini, an tantum Canonici? Ac multum sane refert, nosse, iure diuino, an canonico ea dies obseruetur: Nam si diuino, consuetudine, vel humana potestate abrogari aut mutari non poterit: secus vero, si canonico. Abbas in ca. Licet, de Ferijs, videtur asserere, Dominicam diem iure diuino coli. Angel. in verbo Feria, in

tertio ad finem ait: Cum videatur esse quasi iuris diuini. Silo. in verb. Dominica, numer. 1. in principio. Dominica, inquit, dies succedens Sabbato non diuina, sed Ecclesiastica constitutione. Sed postea quæst. 1. versic. 7. ait, aliquos dies festos esse iuris diuini, vt est dies Dominica, & dicit hanc esse opinionem communem. Supplementum Pisancellæ in verbo Dominica, §. 1. in additione docet, Dominicæ diei cultum iuris esse diuini. Cæterum S. Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 4. Caietan. ibidem. Turrecte. ca. 1. de consecr. distinct. 3. V. Valdenf. de Sacramentalib. titul. 16. cap. 140. Scotus lib. 2. de iust. quæst. 4. articul. 4. Tabien. in verbo Dominica, num. 2. Nauar. in Man. ca. 13. nu. 1. Burgen. in scrutinio prima part. distinct. 8. cap. 14. Albertinus lib. 6. de Hæresibus versic. quinquagesimus error. Armil. in verb. Dominica, num. 1. Rosel. Dominica num. 1. Anton. 2. part. tit. 9. ca. 7. fere in principio. Alsenf. in sum. lib. 1. tit. 22. artic. 3. Maior. in 3. distinct. 37. quæst. 19. docent diem Dominicæ coli non diuino, sed Canonico iure ab Apostolis primum constituto, ac deinde in Ecclesia semper retento. S. Augustin. serm. 151. de tempore, sic ait: Dominicum ergo diem Apostoli, & Apostolici viri, ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem redemptor noster à mortuis resurrexit. Et paulo inferius extat insignis. Ac ideo sancti Doctores Ecclesiæ decreuerunt, omnem gloriam Iudaicæ sabbatissimi in illam transferre: vt quod ipsi in figura, quando resurrexerunt, perpetrata, & remuneratio in anima & corpore simul perfecta. Sic ille. Abbas & alij iuris Canonici consulti dicere voluerunt, diei Dominicæ cultum esse proprie iuris diuini, quoniam illi ius diuinum late & ample sumpsisse videntur: quicquid enim est veteri lege præceptum à Deo, ius appellatur diuinum. Rursum, quicquid ex sacris literis habetur, dicunt esse iuris diuini, & quia Apocal. 7. & Act. 1. & 1. ad Corinth. 16. diei Dominicæ cultus significatur, ideo traditur iuris esse diuini. Item præceptum de die Dominico colendo aliquid habet, quod videtur esse diuini, & naturalis iuris, nam ratio ipsa naturalis videtur esse diuini, & ius diuinum confirmat, vt aliquod in hebdomada tempus diuino cultui consecremus, quo diuinis rebus operam demus. Tempus igitur, quod ius naturale, & diuinum præscribit, Apostoli, & Patres diem Dominicum cuiusque hebdomadæ esse voluerunt. Porro Dominicum diem esse colendum, habetur in Iure Canonico. in cap. pronuntiandum, & de Sabbato, de consecr. dist. 3. & omnes, de Feriis. Idem cultus præcipitur iure ciuili. l. omnes, C. de feriis. Sed ea lex cum ciuili sit, vim & locum habet non vt ciuili est, sed quatenus iure Canonico confirmatur: vt ait Panot. in e licet, de feriis.

Act. 2.  
Exo. 16  
Ps. 77.

Tertio quaeritur, Quare Sabbati obseruatio sit in diem Dominicam mutata? Respondeo, multis de causis. Primo, Sabbathum colebatur vt signum illius diei, qua Deus ab omni opere quod fecerat, cessauit: Dies vero Dominica, est signum illius diei, quo Christus resurrexit: quo die vacauit ab omni labore, quem sponte susceperat ad genus humanum ex innumeris malotum, quibus premebatur, calamitatibus liberandum. Secundo: iure optimo Sabbathum est in diem Dominicam conuersum ob multas, quibus dies Dominica gaudet, prærogatiuas.

Quarto quaeritur, Quot, & quæ fuerint diei Dominicæ prærogatiuæ? Respondeo, esse septem, vel octo præcipuas, imo secundum aliquos, decem. Nam multa olim die diei creati sunt Angeli: in ipso quoque resurrexit à mortuis Christus, in ipso descendit de cælis in Apostolos Spiritus sanctus: In illudine missa cælestis manna, Deus veterem Hebræorum populum liberaliter ac mirifice paut. Easdem sex prærogatiuas Dominicæ diei recenset Beda in libro de offic. Ecclesiastic. cap. 1. & Concilium Parisiense. sub Ludouico, & Lothario, cap. 50. & in Epistola iridem Synodica, quæ inscribitur, Ordinatio feriarum Paschaliū per Theophilum Episcopum Cæsariense. &

reliquos Episcopos, quæ Epistola habetur apud Bedam, Tomo secundo.

In sexta Synodo Generali, quæ fuit Constantinopolitana, cap. 8. octo priuilegia diei Dominicæ numerantur, his verbis: [Diei vero Dominici, quia in eo Deus lucem condidit: in eo manna in eremo pluit: in eo nasci dignatus est: in eo stella Magis refulsit: in eo baptismum in Iordane à Ioanne suscepit: in eo ipse pius Redemptor humani generis sponte pro salute nostra à mortuis resurrexit: in eo Spiritum sanctum super Discipulos infudit, tanta debet esse obseruantia, vt præter orationes, & Missarum Solemnia, & ea, quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat.]

Leo Epistola ad Dioscorum, quæ est ordine 81. cap. 1. die Dominica dicit: Tantus diuinarum dispositionum mysteris est consecrata, vt quicquid est à Domino insignis constitutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac Mundus sumpsit exordium: in hac per resurrectionem Christi, & mors interitum, & vita accepit initium: In hac Apostoli à Domino predicandi omnibus gentibus Euangelii tubam sonarunt: & inferendum vniuerso mundo sacramentum regenerationis accipiunt: In hac sic ut beatus Euangelista Ioannes testatur congregati in vniuersis Discipulis, Iannus clausus cum ad eos Dominus introisset, infusauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisit peccata, remittuntur eis: & quorum detinueritis, detenta erunt. In hac deniq; promissus à Domino Apostolis Spiritus sanctus aduenit. Sic Leo Augustinus item sermone 54. de tempore, sic ait: Venerabilis est hæc dies, qui Dominicus dies, & dies primus atque perfectus est: & dies clarus, in quo visa est prima lux: in quo transgressi sunt filii Israel Mare rubrum sicco pedibus, in quo pluit manna filiis Israel in deserto: & quo Dominus baptizatus est in Iordane: in quo vinum de aqua in Cana Galilæa factum est: in quo benedixit Dominus quinque panes, quibus satiavit quinque milia hominum: in quo resurrexit Dominus à mortuis: & quo intrauit Dominus in domum clausam, ubi erant Discipuli congregati propter metum Iudeorum: in quo Spiritus sanctus descendit in Apostolos: in quo speramus Dominum nostrum Iesum Christum venturum ad iudicandum.

Quinto quaeritur, Quinam fuerint ritus, qui in die Dominico de Ecclesiæ more seruantur? Respondeo, Christianos olim, sicut nunc etiam, in sacramentum conuenire confueuerunt ad lectionem Scripturarum, & ad concionem, & rem diuinam audiendam: vbi peracto Missæ sacrificio Eucharistiam percipiabant, vt ex Iustino martyre in Apologia 2. & alijs Patribus supra nominatis constat. Deinde semper vsu, & instituto Maiorum diebus Dominicis feriatæ sunt Christiani ab operibus ciuilibus, siue profanis, quæ feruilia vocantur, vt Augustin. sermone 251. de Tempore, Gregorius lib. 2. Registri epistol. 3. & alij docuerunt. Item, prohibitum semper in Ecclesia fuit in die Dominica ieiunium: vt constat ex Can. 64. Apostolorum, Tertuliano in libr. de corona militis cap. 2. & alijs scriptoribus Ecclesiasticis: vt Hilario in prologo in Psalmos, Hieronymo aduersus Luciferianos, Augustino Epistol. 119. ad Ianuarium cap. 15. & 17. Maximo Tainen. hom. 1. de Pentecoste, Ilidor. lib. 1. offic. Ecclesiastic. cap. 33. Raban. lib. 2. de Institut. Clerico. cap. 4. Postremo, in diebus Dominicis Christiani non steterant genua, sed stantes orabant, vt patet ex Canone 20. Concilij Nicæni, & ex Tertuliano, Hilario, & Augustino locis ante citatis, Iustino in Quæstionibus Orthodoxorum, quæst. 115. vbi ait, Irenæum lib. de Paschate scripsisse, hanc esse Apostolicam traditionem. Qui mos in Ecclesia seruatus est vsque ad Alexandri III. ætatem, nam in cap. Quoniam de Feriis, ait ille Pontifex: Diebus Dominicis suis inter Pascha, & Pentecosten, genus flexio fieri non debet: nisi aliquis ex deuotione id velit facere in secreto. Sic ibi. Ob huius diei dignitatem, consecratur Episcopus in ea, & nequit iure communi in alio die consecrari: vt habetur ex Leone I. in e. Quod die dist. 75. Et Ecclesia ob tot diei Dominicæ prærogatiuas, cantat de ea: Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, & letemur in ea.

Sexto quaeritur, An consuetudo possit diei Dominicæ cul-

lo. 23.

Gen. 1.  
Exo. 14.  
Infr. 16.  
Ioan. 1.  
Infr. 2.  
Infr. 6.

Infr. 20.  
Act. 2.

ca: cultum abrogare. Angelus, Supplemen. Syluest. Abbas *locis iam dicitur*, cum doceant huius diei cultum esse iuris diuini, ingenue fatetur consuetudine abrogari non posse. Sed certe quamuis iuris Canonici sit, non diuini, consuetudine nunquam abrogabitur: Tum quia semper est ab Apostolorum tempore huius diei cultus haecenus seruatus: tum quia est maxime rationi consentaneum, vt post sex dies profestos, vnum diuino cultui consecremus, & hic sit dies, in quo Christus surrexit à mortuis.

Septimo quaeritur, An die Dominica diuino iure cogamur erga Deum verum actum charitatis elicere, eum plusquam omnia diligendo: & an itidem debeamus peccata sponte commissa, per veram cordis poenitentiam detestari: De hac quaestione inferius disseremus.

Octauo quaeritur, An peccata coniuges, si diebus Dominicis, aut alijs diebus festis solemnioribus coniugale debitum petant, aut reddant? Ratio dubitandi est, quia in *c. Sciatis, &c. quotiescunq; 33. q. 4.* ex Hieronymo & Augustino habetur, non posse huius diebus coniuges vti maritali complexu. Respondet Angelus *verbo, Debitum coniugale, num. 28.* non peccare, nisi id faciant vel ob contemptum diei Dominicae: vel diei festi, vel explendae voluptatis, aut libidinis causa: quo sensu intelliguntur, quae ex Hieronymo & Augustino continentur *locis citatis*. Sic etiam Glossa *ibidem*, eundem sensum habet, quod Augustinus *Sermone 234. de Tempore* dicit: *Qui uxorem suam in profanis locis agnoscat, aut in die Dominico, aut in qualibet alia solemnitate se continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam forte demoniaci nascuntur.* Sic ibi Augustinus.

CAP. III.

De die festo Paschatis.

PRIMO quaeritur, Quidnam Pascha significet? Respondeo: tametsi quorundam Patrum fuerit opinio, *pascha* nomen esse Graecum dictum à *πάσχω* quod est pati: tamen multorum virorum sententia docet esse nomen Hebraicum, significans transitum: quod etiam annotauit August. *epistol. 119. cap. 1.* nam nomen est acceptum à transitu illo Domini, siue Angeli percutientis: qui cum media nocte Aegyptiorum primogenita interfecisset, absq; vlla caede Hebraeorum, domos agni immolati sanguine notatas petransiit. Vnde Pascha non significat transitum Hebraeorum ex Aegypto ad terram Chanaan, suis Maioribus diuinitus promissam: nec transitum eorundem per Mare rubrum, vt quidam patres tradidere: sed, vt dixi, ipsius Angeli transitum, vt propterea Leuit. 23. Phafe Domini dicatur, & Exod. 12. est enim Phafe, vt Latinus interpres addidit, id est, Transitus Domini: Et cum dixerit vobis filij vestri: Quae est ista religio? dixeris eis: Victimam transitus Domini est, quando transiit super domos filiorum Israel, in Aegypto percutiens Aegyptios, & domos nostras liberans. Dices: Quomodo cum dicatur Hebraice Phafe, deductum est inde nomen Pascha? vix enim huic nomini cum illo quid videtur esse commune. Respondeo: quod Hebraei dicunt Phafe, Chaldaei more suo addunt ad finem Aleph, & litteram Samech, LXX. Interpretes Graeci passim vertunt in litteram s, & ita factum est nomen Pascha.

Secundo quaeritur, Quot modis in Scripturis nomen Paschae sumatur? Respondeo, primo accipi pro transitu illo Angeli, sed deinde translatum est nomen ad significandum agnum, quem quotannis Iudaei immolabant, & edebant in memoriam illius, quem comederunt eorum patres ad vespeream pridie illius diei, quo Aegyptiorum à se seruitutem depulerunt: ac ita accipitur in his locis Euangelicis: [Vbi vis patrem tibi comedere Pascha] & In qua necesse erat occidi Pascha, & Quando Pascha immolabatur: & rursus; vbi Pascha cum Discipulis

meis manducem, & Apostolus: Pascha inquit nostrum immolatus est Christus, quasi diceret; Christus immolatus est tanquam Pascha nostrum, id est, tanquam noster agnus, cuius typus & vmbra fuit vetus ille agniculus Iudaeorum. Deinde accipitur Pascha pro die festo Azymorum. Lucae 2. *In die solemnis Pasche*, Luc. 22. *Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Ioan. 12. *Ante die festum Pascha.* Nam vt constat Leuit. 23. Exod. 12. & Numerorum 28. Decimaquarta Luna primi mensis ad vespeream, siue vt Hebraice dicitur, Inter duas vespereas, Phafe Domini erat, hoc est, Agnus immolabatur & comederatur: Deinde, Luna decimaquinta proxime sequenti colebatur dies festus Azymorum. Ex eo die septem alijs diebus azymi panes edebantur, & dies vltimus erat quoque festus. Quo factum est, vt Pascha etiam accipiat pro singulis Azymorum diebus, quasi eos dixeris, Paschales Actum 12. *Erant autem dies Azymorum:* (ac statim subditur) *volens post Pascha producere eum populo*, id est, post dies illos Paschales.

Verum tamen dubiae quaestiones est, An Pascha sumatur interdum pro illis victimis, quae instituto legis offerrebantur singulis illis Azymorum diebus, siue ex ouibus, caprisue, siue ex bobus? Quidam vt Abulensis 2. *Part. Defensorij cap. 8.* existimant aliquando sic sumi Pascha. Deuteronom. 16. *Immolabisque Domino Deo tuo; Phafe de ouibus, & de bobus, in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus:* quod est diceret: immolabis Paschales hostias. Agnus enim qui decimaquarta Luna ad vespeream maclabatur, ex ouibus solum vel capris erat, non bobus, & 2. Paral. cap. 35. dicitur: *Dedit Iosias omni populo in solemnitate Phafe agnos & haedos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia: boues quoque tria millia,* quod nihil aliud est, nisi dicere: Dedit omni populo ad Paschales hostias, quae offerri solebant in illis diebus Azymorum: & inferius dicitur: *Principes domus Domini dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phafe, pecora commixta duo millia sexcenta, & boues trecentos.* Vnde illud Ioan. 18. *Noluerunt (principes Sacerdotum) introire in praetorium, vt non contaminarentur sed vt manducarent Pascha:* non intelligitur, inquit de agno Paschali, quem iam ante comederant, sed, de victimis Paschalibus, quae illo tempore Azymorum offerrebantur, & non nisi à mundis edebantur. Alij vero putant Phafe, siue Pascha, illis in locis non sumi pro victimis, sed pro tempore illo Azymorum, in quo offerrebantur victimae: ita vt cum dicitur Deuteronomo. 16. *Immolabis Phafe de ouibus & de bobus,* intelligi debeat praepositio, In, quae more Hebraeorum plerumque subicitur, tanquam diceret: Immolabis in Phafe, id est, in tempore Paschali Azymorum. Illud item 2. Paral. 35. *Dedit (Iosias) omni populo in solemnitate Phafe.* Intelligitur cum eadem praepositione: scilicet, ad immolandum, & offerendum in Phafe, id est, in tempore Paschali. Ioan. quoque 18. cum dicitur: *Vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha:* hoc significat, ne manducarent in Paschate, ita vt dicere velit Euangelista: Ne in illo tempore Paschali arcerentur ab esu victimarum, quas eo tempore ex legis praescripto offerre cogebantur.

Tertio quaeritur, An Paschatis obseruatio apud Christianos sit iuris diuini, an solum Canonici? Respondeo: apud veteres Hebraeos dies festus Paschatis colebatur, quia Deus id iusserat, & per Moysen promulgauerat Exod. 12. & Leuit. 23. At vero Pascha apud Christianos tanquam dies festus, & sollemnis seruatur instituto Apostolorum semper in Ecclesia retento. Vnde Paschatis obseruatio est etiam antiquissima, Canone enim 68. Apostolorum sit mentio ieiunij Quadragenarij, quod proxime ante Pascha suscipitur: & Clemens *lib. 8. Constitum. cap. 3.* ait. Constitutionem Apostolicam esse, vt dies Dominicae resurrectionis tanquam sacer & festus honoretur. Porro apud Iudaeos Pascha colebatur ob memoriam beneficij diuinitus accepti, quo fuere à seruitute quam diu in Aegypto sustinuerant, liberati. Nunc vero in Ecclesia colitur Pascha tanquam signum Domini-

Mar. 14  
Luc. 22  
1. Cor.  
15.

Tartul.  
cont. I.  
dos c.  
10. Na.  
ciana.  
Ora. 2  
de Pa.  
scha.  
Iren. li.  
4. con.  
tra Ha.  
ref. ca.  
pit. 23.  
Exo. 12  
Exo. 14

Matth.  
23. &  
16. &  
Mar. 16  
Luc. 22



ca resurrectionis, qua sumus à peccati seruitute diuinitus crepti. Ac sicut in vetere illo Hebræorum Pascha te duo erant, Agnus enim immolabatur tanquam signum illius agni, quem Iudæi comederunt pridie illius diei, quo durum à se Ægyptiæ seruitutis & tyrannidis iugum depulerunt: & tanquam typus & figura Christi Domini, qui instar agni fuit in Cruce immolatus: & deinde festus dies Azymorum in honore habebatur tanquam signum liberatis obtentæ: sic etiam Ecclesia colit diem, quo occisus est Christus, tanquam agnus pro nostris peccatis oblati, cuius ille agnus legalis fuit typus & symbolum, cuiusque sanguine fumus redempti. Celebrat quoque diem Dominicæ resurrectionis tanquam festum & solemne: quia Christus resurgens ex mortuis, nos ad cœlestem Patriam reuocauit.

Quarto queritur, Cur Ecclesia statò & fixò die non colit diem Dominicæ resurrectionis, sicut colit diem Dominici Natalis? S. Augustinus de hac copiose scribens ad Ianuarium in Epist. 119. cap. 1. & à capite 9. usque ad 17. respondet, id fieri propter sacramentorum, & recondita arcana, quæ in celebratione Dominicæ resurrectionis continentur. Quærit, ait Augustinus, quæ causa sit, cur anniuersarius dies celebranda Dominice passionis, non ad eundem redant anni die, sicut dies, qua traditur natus. Et post pauca subiungit: Noueris diem natalem Domini non in sacramento celebrari, ad tantum in memoriam reuocari, quod natus sit: ac per hoc nihil opus erit, nisi reuoluitur anni diem, quo ipsa res acta est, festa deuotione significari. Sacramentum autem est in alia celebratione, cuius rei gesta ita rememoratio est, ut aliquid etiam ita significari intelligatur, quod sancte recipiendum est. Eo itaque modo agimus Pascha, ut non id solum, quod factum est, in memoria reuocemus, id est, quod mortuus est Christus, & resurrexit: sed etiam ob cetera, quæ circa ea gesta obstantur, ad sacramenti significationem non omitamus. Quia sicut dicit Apostolus. Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Transitus de morte ad vitam in illa passionis Domini & resurrectione sacrosus est. Significat ergo Augustinus in celebrando Paschate uoluisse Ecclesiam, ut arcana quædam intelligeremus, uidelicet nos debere cum Christo, in primo mense ab Æquinoctio uerno, in nouitate uitæ resurgere, & cum Christo mori primum, hoc est, ueterem uitam deponere, ut sicut tuæ renouatur annus, & renouantur omnia, & uetera transierunt: sic nos uitam renouemus ueteri abiecta. Existimo Ecclesiam huiusmodi ritum & motem colendi Pascha, semper seruasse ab Apostolis traditione acceptum. Petrus Apostolus in Italia, Marcus Alexandria, & in Ægypto, Ioannes in Asia Pascha ita celebrandum tradidisse creduntur.

Quare non suat audiendi, qui censent, satius fore, ut Ecclesia statò semper die Pascha obseruaret, instar aliorum dierum festorum, qui rati & fixi nuncupantur: hac enim ratione se Ecclesia, inquit, à multis questionibus & controuersijs omnino expediret, quæ in Nouillij Paschalibus inter Scriptores non sine magna contentione oriuntur. Sciendum est, Mosaicum Pascha, hoc est, quod lege ueteri, & præcepto Moysis colebatur, semper celebratum esse à Iudæis Luna quartadecima, qua cadebat vel in diem Æquinoctij uerni, vel quapost Æquinoctium uernum primo occurtebat: ut testis est Iosephus libr. 3. Antiquitat. cap. 13. Hoc idem docet Anatolius Laodiceæ uerbis Syriæ Episcopus, qui circa annum Domini 282. annis ferme quadraginta quinque ante Concilium Nicænum uixit: qui postquam docuerat, ut referret Euseb. li. 7. Histor. Ecclesiast. cap. 29. annum, quod ad Pascha celebratam spectat, ab Æquinoctio uerno esse inchoandum, subiungit hæc: Et ideo nò parum delinquere dicimus eos, qui ante initium hoc noui anni, id est, ante Æquinoctium uernum, Pascha putant esse celebrandum. Et hoc sensisse Philonem, & Iosephum, & alios antiquiores Iudæos testatur, uidelicet, Pascha non prius esse immolandum, quam Æquinoctium uernum transiret. Ergo patet ex his, He-

bæos ex traditione Moysis sumpsisse eam Lunam quartadecimam primi mensis, quæ vel in diem Æquinoctij uerni inciderebat, vel ipsum proxime sequebatur, ita ut Luna decimaquarta Æquinoctium antecedens reiecta semper fuerit ut inutilis, & quæ ad vicinum potius mensis anni, quam ad primum pertineret. Et quia Christus Dominus, qui nostrum Pascha uerum est, resurrexit à mortuis Luna decimaseptima, aut Luna decimaseptima (secundum duas Catholicorum sententias, de quibus inferius dicam) primi mensis post Æquinoctium uernum, ideo Ecclesia nunquam celebrat Pascha ante Æquinoctium uernum: ut colligitur ex sancto Ambrosio epistol. 83. S. Augustini epistol. 119. cap. 8. Bedæ lib. de Ratione temp. cap. 28. Socrat. libr. 5. cap. 20. Calliodor. in Tripar. libr. 6. cap. 37. Nicephor. libr. 11. cap. Clemen. lib. 5. Constit. Apostol. cap. 18. Nam quia resurrexit Christus post Lunam decimaseptimam primi mensis, ideo nunquam Ecclesia Pascha colit, nisi post quartadecimam Lunam primi mensis, post Æquinoctium uernum. Quare Ecclesia iam inde ab Apostolorum uelculo hunc morem retinuit, ut in Paschate celebrando rationem habeat Lunæ in primo mense, nempe Martio, iuxta Æquinoctium uernum occurrentis. Et quia heresis fuit primis illis Ecclesie temporibus quorundam contententium, debere Ecclesiam una cum Iudæis Pascha celebrare quartadecima Luna primi mensis incidentis in Æquinoctium uernum, aut proxima post illud, in quem unque diem ea Luna caeteri iuxta illud Deuteronomij: [Mense autem primo quarta decima die mensis Phase Domini erit:] ideo Ecclesia ne Christiani Pascha celebrarent in eo die, quo Paschalem Iudæi, aliquando agnum ederent, instituit, ne unquam Pascha obseruaretur in ipsa quartadecima Luna primi mensis: & proinde, quotannis quartadecima Luna primi mensis, quo die Iudæi initiu legi, suum Paschalem agnum immolant, & comedunt, notaretur; & deinde in Dominica die, quæ cum Lunam proxime consequeretur, Pascha nostrum coleretur. Quo fit, ut quoties Luna quartadecima primi mensis in diem Dominicam cadit, Pascha Ecclesia transferat in sequentem diem Dominicam, in quam Luna uigesima prima primi mensis incidit. Vnde extrat Canon. 69. Apostolorum ubi dicitur. [Si quis Episcopus, uel Presbyter, uel Diaconus, uel omnino ex Clericorum Catalogo ieiunat cum Iudæis, uel cum ipsis festos dies agit, uel ab ipsis xenia accipit, uel uerbi gratia, azyma, uel quid tale, deponatur; si uero sit laicus, segetegetur.]

## CAP. IV.

## De eadem re alia questionibus soluntur.

PRIMO queritur, In quo Ecclesia ab Hebræorum lege in hac parte recesserit? Respondeo, in hoc Ecclesiam à Iudæorum more discedere: quod Pascha, non in ipsa quartadecima Luna primi mensis, in qua Hebræi suum Paschalem agnum comederant, sed in Dominica, quæ quartadecimam Lunam primi mensis proxime sequitur, celebrati iusserit: eo quod prima Dominica, ante quæ proxime Iudæi suum agnum Paschalem immolauerant, & comederant, Dominus à mortuis resurrexerat. Nam Iudæi Pascha celebrabāt, hoc est, in quartadecima Luna primi mensis suum agnum Paschalem sacrificabant, & edebant, qui mortem Christi adumbrabat: nos uero Pascha colimus ob memoriam resurrectionis Domini nostri, quæ die Dominica, & post Lunam quartadecimam primi mensis, & post Paschatis, ac legalis agni immolatione, & esum facta est. Vnde Ambrosius in Epist. 83. ait: Si incidit, sicut futurum est proxime, quartadecima Luna mensis primi, die Dominica, quia neque Dominica die ieiunare debemus, neque uersidecima Luna die Sabbati incidenti, ieiunium soluere (quod maxime die Passionis est exhibendum) in altera hebdomada

celebr-

*celebratus Pascha est differenda. Beda quoque in lib. de Ratione tempor. ca. 57. Conuenit itaque, inquit, diligenter aduertere, ut quoties quartadecima Luna in Dominica incurrat diem in sequentem septimanam Paschalem diem, potius differamus duplici hoc modo. Primum quidem, ne, tertia decima Luna, inuenta in Sabbati die soluiamus ieiunium: quod consequens non est quod nec lex ipsa praecipit. Deinde, ne in Dominica die Luna, quartadecima constituta ieiunare cogamur, indecentem rem, illicitamque facientes. Hoc enim Manichaeorum sectae consuetudo possit. Idem docet Euseb. lib. 5. Hist. c. 23.*

Secundo quaeritur, Quibus de causis Ecclesia interdixerit Pascha celebrari in quartadecima Luna primi mensis? Respondeo, multas esse causas eiusmodi, ob quas id Ecclesia prohibuerit. Prima est: ne in Luna tertia decima quadragenarium ieiunium solueretur: aut si tunc non solueretur, sed in Luna quartadecima, ne in die Dominico ieiunium seruare cogemur cum haereticis Manichaeis. Secunda: ne si in Luna quartadecima Pascha celebramus, ex una parte exultaremus ob memoriam resurrectionis Dominicae, cuius est signum Pascha, quod celebramus; ex altera parte lugeremus, cum Luna quartadecima primi mensis potius sit signum mortis Dominicae, quam resurrectionis. Quare Ambros. Epistola citata: *Vnde (ait) haec Lex Pascha nobis seruanda est, ut non quartadecimam obseruemus in die resurrectionis, sed in die magis passionis, aut certe alij proximis superioribus diebus, quia resurrectionis celebritas die Dominica celebratur.* Tertia huius rei causa est: ne vnquam cum Iudaeis Pascha, id est, transitum ex Aegypto in patriam, hoc est, de morte ad vitam celebraremus: Iudaei enim suum legalem, & Paschalem agnum immolabant & edebant in memoriam transitus ex Aegypto in patriam, hoc est, in memoriam liberationis ex Aegyptiaca seruitute: nos vero ob memoriam Dominicae resurrectionis, per quam mortui peccato sumus in vitam gratiae restituti, & veterem vitam exuti in nouitate vitae ambulamus. Quarta: ne cum Quartadecimanis haereticis conueniremus, qui lege veteri cum noua obseruandam esse dicebant.

Tertio quaeritur, In qua Dominica primi mensis Pascha celebrari Ecclesia iusserit? Respondeo. Pascha celebranda esse in Dominica die ex Apostolorum auctoritate: ut tradit Pius Papa & Martyr, qui vixit circa annum Domini 150. in Epistol. Decretali, & habetur in cap. Nosse. de Consec. Distinct. 3. Et, celebrandum esse non qualibet Dominica, sed ea qua Luna quartadecimam primi mensis proxime consequitur, definit Victor, Papa & Martyr: & refertur in cap. Celebratam de consec. distinct. 3. Vbi sic ait: *Celebratam sancti Pascha die Dominico agi debere, & praedecessores nostri iam statuerunt, & nos illud eadem die solemniter celebrare mandamus: quia non decet, ut membra à capite discerent, aut aliter gerant.* [A quartadecima vero Luna primi mensis vsque ad vigesimam primam eiusdem mensis eadem celebratur festiuitas.] Idem sancitum est in Concilio, quod eiusdem Victoris summi Pontificis horatu in Caesarea Palaestina à multis Episcopis celebratum est: ut legitur apud Eusebium lib. 5. Ecclesiast. Hist. cap. 13. Postea idem definiuit Synodus prima Nicæna, ut refertur Sozomeno. libro primo, cap. 6. Theodoret. lib. 1. cap. 9. Idem constitutum est in synodo Antiochena, & postea in Chalcedonensi. Hoc autem ita esse in Concilio Nicæno decretum, testantur Beda lib. 3. Ecclesiast. Hist. Anglorum cap. 25. Ambros. Epistol. 83. vbi tria declarat ipse Ambrosius. Primum Pascha ex decreto Concilij Nicæni celebrandum esse in die Dominica post decimam quartam Lunam primi mensis, qui ab Aequinoctio verno incipit: quibus verbis explicat primum mensis esse eum, cuius Luna decima quarta in Aequinoctium incidit, id est, in diem 21. Martij, vel proxime consequitur. Secundo docet, Pascha in sequentem hebdomadam differendum esse, quando Dominica dies in Lunam decimam quartam incidit. Tertio loco ait, Patres Nicæni Concilij decreuisse, ut Luna quartadecima primi mensis inquiretetur per cyclum Anrei numeri decemnouennalem. Idem

plenius Beda restatur in lib. de Rat. tempo. cap. 42. & in lib. de Ratio. Computi cap. 16. Et idem repetit lib. 5. Hist. Anglorum. cap. 22. vbi dicit id ita seruasse beatorum Petrum, cum Romæ predicauit, & esse hanc consuetudinem Ecclesie, Euangelicam, & Apostolicam traditionem, & ita seruasse eam semper Romanos à S. Petro edoctos, Alexandrinos, & Aegyptios quos instituit S. Marcus S. Petri discipulis, à primis temporibus. Idem tradit Euseb. lib. 5. Hist. cap. 22.

Quarto quaeritur, Quinam mensis sit primus, post cuius Lunam decimam quartam celebrandum est nostrum Pascha? quidam putant, eum mensis esse primum, cuius Nouilunium propinquius est diei Aequinoctij verni. Sed hoc merito confutat Christophorus Clavius in Apologia noui Calendarij Romani lib. 1. cap. 1. Nam contingere potest, ut duo Nouilunia aequaliter à die Aequinoctij distent: vnum quidem ante, alterum vero post: si nige Aequinoctium constitutum die 21. Martij, si plenilunium incidat in meridiem die 21. Martij tanto interuallo à meridie diei 12. Martij aberit Nouilunium quod diem Aequinoctij praecedat, quanto ab eodem distat Nouilunium, quod eundem diem Aequinoctij subsequitur, quia vtrumque à plenilunio abest diebus 14. horis 18. minut. 22. secund. 2. fere vnde merito tunc ambigeremus, vtrum ex illis duobus Nouilunijs ad primum mensis spectet. Quare dicendum est eum esse primum mensis, cuius Luna quartadecima incidit in diem Aequinoctij, vel eundem proxime consequitur.

Hoc enim docet Beda in lib. de Ratione temporum cap. 49. his verbis: *Nos Aegyptiam calculandi disciplinam, qua & tuo iudicio (alloquitur autem Victorium) & vniuersalis Ecclesie consensu verior apparet, omnibus sequendam nouimus. Initium videlicet primi mensis ab octauo Iduum Martiarum, vsque in Nonarum Aprilium diem. Quartus decimas vero Lunas Pascha à duodecimo Calendarum vsque in decimum quartum Kalendas Maias. Porro diem Pascha Dominicam ab undecimo Calendarum Aprilium vsque in septimam Calendarum Martiarum: at hoc in Luna quintadecima vsque in vigesimam primam esse querendum. Quibus verbis aperte primam Lunam quartadecimam Paschalem collocat in die Aequinoctij, vel qui ipsum proxime sequitur: & vltimam in die decimo octauo Aprilis: ac proinde vult primum mensis, id est, Paschalem, esse eum, cuius Luna quartadecima incurrat in diem Aequinoctij, vel ipsum proxime sequitur. Idem apertius docet ca. 43. in eodem libro, ita scribens: *Qui vtrique (anni scilicet communis & embolismi) sicut supra à dum est, ab exordio primi mensis, quem Hebraei Nisan vocant, hoc est, ab accensione Luna Paschalis initium sumunt: cum exordium mensis hac regula debet obseruari: ut nunquam Luna Pascha quartadecima vniuem praecedat Aequinoctium, sed vel in ipso Aequinoctio, hoc est, duodecimo Calendarum Aprilium: vel eo transgresso legitime praecedat. Vnde fit, ut ab octauo Iduum Martiarum die vsque in Nonarum Aprilium diem Lunaris anni sint quarenda primordia. Ipsa autem Luna quartadecima cum primo duodecimo Kalend. Aprilis, cum vltimo quartadecimo Kalend. Maias occurrendo, diem festi Paschalis ab undecimo Kalend. April. vsq; in septimum Kalend. Maias facit inquirendum.**

Idem dicit cap. 57. in hunc modum: *Nam quae post quartadecimam Lunam Dominica dies occurrit, ipsa est Paschalis Dominica resurrectionis dies. Quae quidem quartadecima Luna primum in Aequinoctio, id est, duodecimo Calendarum Aprilium: vltimum vigesimo nono ab hinc die, id est, decimo quarto Calendarum Martiarum, sub vespere processum terris ostendit. Et cap. 60. Cuius, inquit, primi mensis septemque eius dies non azyronum nunc regula talis est: ut quae post Aequinoctium decima quinta Luna occurrat, primi mensis intelligatur: & haec quacumque septem dies usq; ad vigesimum primum accipit, Paschalis festi gaudij apium porrigat. Sic ille.*

Quinto quaeritur: Quot, & quanam inquirenda sint, v: rit & legitime dies Paschae inueniatur? Respondeo: tria inquiri debere. Nam tria ex decretis Sanctorum Pontificum, & Conciliorum in recta Paschae celebratione

obferuat Romana, & Catholica Ecclefia, videlicet Aequinoctium vernum, Lunam quartam decimam primi mensis, & primam Dominicam, quæ proxime fequitur Lunam illam quartam decimam. Et ne error contingeret in aliquo horum trium, statutum est à Patribus Concilij Nicæni, vt Aequinoctio vernò tribueretur dies vigefimus primus Martij, quo die tunc; aut circiter Aequinoctium fiebat. Ex quo fit vt Luna quarta decima, quæ ante cedit diem vigefimum primum Martij, cenfeatur pertinere ad vltimum anni menfem non autem ad primum, ac proinde apta non fit ad celebrandù Pascha: quæ vero quartadecima Luna incurrit in vigefimum primum diem Martij: vel fi in eum diem non cadit, quæ post diem illum vigefimum primum Martij primo occurrit, legitima fit ad Paschatis celebratam. Et hinc fit, vt omnia Nouilunia ac fola, quæ ab oclauo die Martij vsque ad quintam diem Aprilis contingunt, fint Paschalia, quæ sunt numero vigintiquatuor, nimirum viginti quatuor in vltimis viginti quatuor diebus Martij, & quinque in primis quinque diebus Aprilis.

Sexto quaeritur, Intra quot dierum primi mensis latitudinem possit Pascha contingere. Respondet in latitudinem trigintaquinque dierum. Nam constat, Pascha celebrari posse, ac debere in aliquo dierum à vigefimo secundo Martij vsque ad vigefimum quintum Aprilis: adeo vt primum & vltimum Pascha coli queat die vigesima secunda Martij; postremum & vltimum, die vigesima quinta Aprilis: & tota celebritas Paschalis latitudinem habeat triginta quinque dierum; quorum primi decem ad finem Martij, vltimi viginti quinque ad principium Aprilis pertineant. Nam quando dies vigefimus primus Martij est dies Sabbati, & in eundem cadit Luna quarta decima, quæ prima Paschalis est, erit in fequenti proxime die Dominico, hoc est in die vigesima secunda Martij celebritas Paschæ: & ante hunc diem Pascha legitime & rite coli non potest, nec vnquam post Concilium Nicænum celebratum est. Quando item dies decimus octauus Aprilis est dies Dominicus, & in eundem diem incidit Luna quarta decima, quæ postrema Paschalis est, celebrabitur Pascha die Dominico proxime fequenti, videlicet die 25. Aprilis; post quem diem ex decreto Concilij Nicæni Pascha celebrari iure non potest, sicut igitur Nouilunium aptum ad Paschæ celebritatem est, quod incidit in vnum dierum ab octauo die Martij vsque ad quintum diem Aprilis: sic etiam Luna quartadecima ad Paschæ celebritatem apta est, quæ cadit in vnam diem à vigefimo primo Martij vsque ad decimum octauum diem Aprilis.

Septimo quaeritur, An rite celebrari possit Pascha in Luna decima quinta, aut in plenilunio primi mensis? Respondet, posse, nam solum prohibuit Ecclefia, ne in Luna quartadecima cum hæreticis Quartadecimanis celebremus non expectato die Dominico post Lunam quartam decimam primi mensis, ac semper hætenus Ecclefia Pascha celebravit in die Dominica, primoque mense, eo videlicet, cuius Luna quartadecima in Aequinoctium vernum incidit, aut ipsum proxime fequitur. Vnde fit vt Pascha celebrandum sit in prima Dominica post Lunam quartadecimam primi mensis, quæ in Lunam 15. 16. 17. & deinceps vsq; ad vigefimam primam includit, vt dicunt incurrit. Beda in lib. de Ratio. temporum cap. 57. primum docet, Dominicam diem, quæ post quartam decimam Lucam primo occurrit, esse Paschalem Dominicæ resurrectiois diem. Deinde subiungit: *Et si fieri possit, vt eadem omnibus anni Sabbati die, Luna quartadecima contingeret, nihil nostra Paschalis obseruantia tempus à legali difceparet: nam & ipsi, iuxta legis edicta, semper quarta decima Luna primi mensis ad vespertam immolantes & comedentes agni immaculati carnem, sanguinemque illius ad repellendum externorum nostris partibus aspergentes, id est, agnum Baptismi & Paschalem celebrantes solemnibus discipulorum, spiritalem superaretur Aegyptum, & quæ illuc*

cente mane in Luna Decima quinta eiusdem mensis azyorum diem intraremus, septemque dies eiusdem celebrata legitimos à mane quintidomi diei vsque vespertam vigefimiprimi mensis ipsius, id est, Dominico Pascha vsque in Dominicum Octauarum Pascha debita cum veneratione completemus. Sed quoniam Luna dies eadem in diuersis septimana deuoluitur ferias; inde fit, vt qui propter resurrectiois nostri Redemptoris; in Dominicum diem Pascha initium referuare docemur, aliquoties nostra festiuitas septima post Legalium azyorum exordium desinat ingressum. Idem apertissime tradit, cap. 59. sic dicens: *Nam cum in veteri Testamento tribus argumentorum indicij Paschale tempus sit obseruare præcipitur, videlicet post Aequinoctium vt mense primo, vt tertia eius septimana; id est, à vespere quartadecima Luna, quod est initium quartadecima vsque in vespertam, id est terminum vigefimæ prima celebratur: quarta in eiusdem obseruatione regula est vobis à tempore Dominice resurrectionis imposta: vt cum Aequinoctio transiit, Lunam primi mensis quartadecimam vespere, crastino facere viderimus, non statim ad faciendam Pascha transilimus, sed Dominicum diem quo ipse Pascha, id est, transitus de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem; de pena ad gloriam resurgendo facere dignatus est, expectantes, in ipso tandem congrua Pascha solemnitas celebremus. Et paulo post. Quoties ergo diem Dominicum, mox adueniente quartadecima prima habemus, nihil nostrum tempus Paschale à Legali dissonat, quantum alijs sacramentorum generibus eiusdem Pascha solemnitas colimus. Quoties vero secunda, tertia, & quarta, vel quinta, vel sexta vel septimo ab hinc die idè Dominice occurrerit, nec si quidem legem, aut Prophetas solimus, sed Evangelicæ potius gratia sacramentis adimplemus. Sic ille. Quam Ecclesie consuetudinem ex Theophilo Alexandrino Episcopo confirmant: idemque repetit cap. 60. & 61. & Augustinus Epist. 119. ca. 3. ad finem, ait: *Tertia hebdomada Luna Pascha celebratur, id est, qui dies occurrerit à quartadecima, in vigefimam primam.**

## CAP. V.

Eusdem argumenti alie quæstiones diluuntur.

PRIMO quaeritur, Quotò die mensis Martij erat Aequinoctium vernum eo tempore, quo passus est Christus? Respondet Francolinus Tract. de Temporibus Horarum Canonice cap. 75. esse communem omnium fere Scriptorum sententiam, fuisse octauo Kalend. diei Aprilis, hoc est, 25. die Martij. Id probat ille auctoritate Ethnicorum: & Christianorum Scriptorum: quia ita dicit Plinius lib. 18. cap. 26. Columella lib. 9. de Rustica cap. 14. & lib. 11. cap. 2. Macrobius lib. 1. Saturna cap. 21. Augustinus serm. 22. de tempore, qui est 18. de Natali Domini. Chrysostomus hom. de Natiuit. B. Ioannis Baptiste, Isidorus lib. de Natura cap. 8. & lib. Etymolog. cap. 34. Beda de temporibus cap. 17. & de Ratione temporum ca. 28. Sed hæc non omnino certa sunt. Nam Augustinus, & Chrysostomus dicunt quidem Christum mortuum esse octauo Kalend. Aprilis in Aequinoctio verno: at non expriment, an dies ille incidit in ipsum Aequinoctium: sed potius fequitur die 24. secundum ipsos Patres fuisse Aequinoctium: nam vt arguunt Anselm. lib. 2. de Imagine c. 17. & Beda de ratione computi, si Christus mortuus est die 25. Martij, ergo die 24. ad vespertam agnum Paschalem, cum discipulis comedit: die igitur 24. erat Aequinoctium: alioqui enim si fuit Aequinoctium, die 25. Martij comedit Pascha ante Aequinoctium, cum tamen secundum legem edendum esset Luna decima quarta, quæ incidit vel in ipsum Aequinoctium, vel proxime fequeretur post ipsum. Vnde Anselm. & Beda locis citatis aiunt Aequinoctium fuisse duodecimo Kalend. Aprilis, hoc est die 21. Martij, & cœnasse eum Discipulis vnde

cimo Kalendas Aprilis, id est, die vigesimo secundo Martij, & mortuum esse decimo Calend. Aprilis, hoc est, die 23. Martij. In eadem sententia fuit Theophilus Cæsariensis. in Palaestina Episcopus, qui floruit circa annum Domini 200. vt constat ex epistola Synodica, quam habes apud Bedam *Tomo. 2. ad finem.* Eiusdem sententia videntur esse, qui sentiunt, Christum mortem passum fuisse decimo Kalendas Aprilis, hoc est die 23. Martij: nam secundum eos consequens est, vt Pascha comederit die 22. Martij, & Aequinoctium incidit in diem 21. vel saltem in ipsum diem 22. Martij, vt censent Nicetus, & Graeci, & senserunt olim Galli, qui teste Beda *de Ratione tempo. cap. 45.* quotannis celebrabant Pascha Dominicae resurrectionis 8. Kalendas Aprilis, hoc est, die 25. Martij, quia secundum eos passus est die 23. Martij: at cenauit cum Discipulis die 22. Martij, ergo vel tunc Aequinoctium erat, cum comedit Pascha, vel proxime praecesserat die 21. Martij. Lactantius libro quarto capite decimo ad finem sensit Christum cruci affixum esse ante septimum Calendarum Aprilium, quod perinde est, ac si dixisset ad septimum, vel septimo Kalendas Aprilis, hoc est, die 26. Martij. Necessse est secundum eum, vt CHRISTVS cenauerit die 25. Martij, ac proinde vel tunc Aequinoctium erat, vel incidit in diem 24. Martij.

Meo iudicio, Aequinoctium verum tempore Christi Domini erat nono Kalendas Aprilis, hoc est, die 24. Martij: quod in hunc modum ostendo. Ioannes Stapherius in suo *Calendario proposit. 37. sub littera i.* & Ioannes Lucidus, *de die vero passionis Dominica cap. 5.* probant, autem numerum, qui in Calendario descriptus est post correctionem anni à Iulio Cæsare factam, non habere fixam, & perpetuam sedem, sed continue paulatim suam sedem anticipare, ita vt huiusmodi anticipatio crescat in annis solaribus trecentis & quatuor fere ad diem vnum, hoc est, ad horas 23. minutis 28. secundis 52. Item Christophorus Clavius in *Apologia noui Calendarij Romani libro primo, capite tertio* tradit Aequinoctia, & solstitia in annis fere 134. vno die integro, & in annis 402. diebus circiter tribus sedes suas anticipare, eo quod in quolibet anno Iuliano, quo vitur Ecclesia, Aequinoctia & Solstitia sedes suas praecurrant minutis 10. & secundis 44.

Cum igitur tempore Concilij Niceni, quod celebrari coepit anno Domini 322. Patres in eo congregati Aequinoctium constituerint in die 21. Martij, consequens est, vt senserint, à tempore Iulij Cæsaris vsque ad illud tempus Concilij factam esse anticipationem per duos dies, & paulo amplius, ergo Aequinoctium tempore Christi Domini erat nono Kalendas Aprilis, hoc est, die 24. Martij, in quo die Iudæi secundum Legem potuerunt agnum edere Paschalem: & die statim proxime sequenti diem festum Paschæ colere. Et quod Augustinus, Chrysostomus, Isidorus aiunt, Aequinoctium fuisse octauo Kalendas Aprilis, hoc est, die 25. Martij, quo die mortuus est Christus: hunc sensum habet, ante diem 25. Martij proxime praecessisse Aequinoctium: nam ante diem 25. Pascha cum Discipulis comederat, at secundum legem edi Paschalis agnus non poterat ante Aequinoctium, sed Luna quartadecima, quæ in Aequinoctium incidet, vel ipsum proxime sequeretur. Quare nihil mirum est, Plinium, Columellam, & Macrobius dixisse Aequinoctium verum fuisse octauo Kalendas Aprilis, hoc est, die 25. Martij, quia proxime ante illam diem praecesserat, nimirum die 24. eiusdem mensis. Quod autem Beda, & Anselmus, & alij dixerint, Aequinoctium verum esse duodecimo Kalendas Aprilis, hoc est die 21. Martij, intelligendum est eos loqui de Aequinoctio, vt est à Patribus Concilij Niceni institutum. Tempore namque Concilij Niceni circa annum Domini 324. Aequinoctium erat die 21. Martij. Porro à tempore Concilij Niceni, in quo fuit Aequinoctium constitutum in die 21. Martij vsque ad nostra tempora ante correctionem Calendarij Romani factam auctoritate Gregorij XIII. Aequinoctium eam sedem deseruit versus principium mensis Martij progrediens, sed non anteaerit per plures integros dies, quam vndecim, nec per pauciores quam decem. Et propterea ante correctionem dictam Calendarij, Aequinoctium erat in die vndecima Martij.

Secundo quaeritur, Quare Aequinoctium verum per nouam correctionem Calendarij Romani, sit reuocatum ad diem vigesimam primam Martij? Respondeo, varias fuisse sententias circa Aequinoctij restitutionem, eorum, qui de noua Calendarij emendatione scripserunt. Quidam censebant Aequinoctium relinquendum esse in die vndecima Martij, in quo die tunc reponebatur. Alij, reuocandum esse ad diem vigesimam quintam Martij, in quo erat tempore quo Filius Dei humanam naturam sibi mirabili vinculo copulauit. Plerique, esse reducendum ad diem vigesimam primam Martij, in qua erat tempore Concilij Niceni: & hæc opinio valuit in noua correctione Calendarij, vt quæ minus nouitatis & mutationis continere visa est. Nam si vel in die vndecima, vbi ante emendationem Calendarij erat, relinqueretur, vel reuocaretur ad diem vigesimam quintam Martij, oportuisset mutare omnes terminos Paschales auctoritate Concilij Niceni constitutos, & omnia Breuiaria, & Missales libros remouere: quæ res Ecclesias, & Ecclesiasticos homines plurimum perturbaret: cum faciendæ essent impensæ maximæ in nouis libris coemendis.

Porro restitutum est Aequinoctium, vt ait, Christophorus Clavius in *Apologia Calendarij noui Romani lib. 1. cap. 3.* à Gregorio XIII. summo Pontifice, ad diem vigesimam primam Martij, exemptis decem diebus à mense Octobris anni 1582. ita vt post quartum diem Octobris, qui Sancto Francisco sacer est, loco diei quinti numeratus fuerit statim quintus decimus dies, decem interiectis eo anno prorsus omissis. Hac enim ratione factum est, vt verum Aequinoctium in anno sequenti M. D. LXXXIII. & alijs deinceps contigerit serius decem diebus, quam ante prædictam correctionem Calendarij. Et proinde cum antea fieret circa diem vndecimam Martij, nunc accidat circa diem vigesimam primam, vt Patres Concilij Niceni constituerunt.

Tertio quaeritur, Cur facta sit correctio Calendarij decem diebus exemptis ex anno M. D. LXXXII. non autem singulis ex singulis annis, aut mensibus detractis? Respondeo, eam correctionem: non esse factam per deductionem decem dierum ex decem mensibus, detractis singulis diebus ex singulis mensibus: nec per omissionem decem dierum intercalarium in quadraginta annis, quia multa occurrere potuissent in quadraginta annis, aut in decem mensibus, quæ Calendarij emendationem impedissent. Item, quia sepius cyclos Dominicalium litterarum interrumpendus fuisset, qui tamen in prædicta correctione semel tantum interruptus est. Detracti autem sunt decem dies ex mense Octobri potius, quam ex quolibet alio mense, eo quod October plures dies Sanctorum celebratibus vacuos & liberos habeat: vnde factum est, vt decem dies ex eo exempti minorem perturbationem & confusionem in Diuinis officijs persoluentis apud homines Ecclesiasticos attulerit.

Quar.

Quarto queritur, Quare ratione factum sit per nouam Calendarij correctionem, vt Aequinoctium propè diem vigesimam primam Martij, ad quam est reuocatum, retineatur in posterum, ne deserat suam sedem, & versus principium mensis progrediatur, vt ante Calendarij correctionem? Respondeo, institutam esse hanc rationem: vt seruata quidem consueta ratione intercalandi vnum diem quarto quoque anno, in posterum non singuli que centesimi anni bissextilis sūt (licet secundum consuetam rationem annorum bissextilium singuli bissextilis esse deberent) sed primi tres centesimi post annum 1600. siant communes, videlicet dierum tantum 365. quales sunt anni 1700. 1800. 1900. quartus autem subsequens centesimus, id est, 2000. Bissextilis sit, scilicet dierum 366. Item tres centesimi proximi 2100. 2200. 2300. eodem modo communes siant, & quartus centesimus proximus 2400. bissextilis sit. Atque ita deinceps eodem semper ordine seruato. Huius intercalationis rationem fuisse ceteris commodiorem probat Christophorus Clavius [in prædicta Apologia libro primo cap. 5.]

Quinto queritur, Quo pacto Ecclesia Aequinoctium verum constituat in vna certa die, videlicet vigesima prima Martij, cum duos Aequinoctium postulet, & non semper in die vigesima prima Martij, sed interdum vel ante, vel post contingat, videlicet in vigesima secunda die, aut in vigesima? Respondeo cum Christoph. Clauio in prædicta Apologia lib. 1. c. 5. & Francolino de tempor. Hora Canonica, cap. 78 nu. 13. Aequinoctium verum duobus modis accipi: Aut enim accipitur vere prout in rerum natura est, & ab Astronomis consideratur: aut accipitur, prout in Calendario affigitur ad certum aliquem diem, & ab Ecclesia ad Pascha celebrandum adhibetur Aequinoctium verum & naturale & duos dies sibi deposcit, nec vno die contineri; & claudi potest, propterea quod si in aliquo anno bissextili contingat, v. g. die vigesima prima Martij circa meridiem, idem sequenti anno accidet sex horis tardius, videlicet die vigesima prima sub occasum solis, propter sex horas; quæ in anno quolibet communi post bissexturnum omituntur: deinde proximo anno continget die vigesima prima circa mediam noctem: & alio anno sequente accidet die vigesima secunda circa ortum solis; ac tandem sequenti anno, qui item bissextilis est, ad diem vigesima primam circa meridiem redibit, propter integram diem intercalarem adiectam. Ecclesiasticum vero Aequinoctium vnum certum diem continet, vt in toto terrarum orbe omnes Christiani vno eodemque die Pascha celebrent. Nam maioris ponderis & momenti est concordia & consensio Christianorum in paschate colendo, quam obseruatio veri Aequinoctij: at satis est, si Aequinoctium Ecclesiasticum à naturali & vero non multum distet, quamuis aliquando non nihil differat, in hoc enim Ecclesia nulla diuina, aut naturali Lege astringitur, sed tantum Canonici iuris est, vt sic vel aliter faciat.

Sexto queritur, An aliquando contingat ex hoc, quod Aequinoctium verum Ecclesia constituat in vna certa die Martij, vt Pascha rejiciatur in secundum mensem, aut interdum primum mensis præueniat, & Luna quarta decima, quæ est aliqui Paschalis ex decretis Patrum, & Concilij Nicæni, pertineat vel ad vltimum mensis anni, vel ad secundum mensis anni post Aequinoctium? Respondeo cum eisdem Auctoribus id aliquando contingere, e. g. si Aequinoctium contingere die vigesima Martij in meridiem in anno bissextili, anno proxime sequenti, continget sex horis tardius, videlicet die 21. circa occasum solis: deinde in anno sequenti accidet circa mediam noctem; in anno sequenti accidet circa mediam noctem; in tertio post bissexturnum accidet die 22. circa ortum solis: quod si forte tunc dies vigesima secunda Martij fuerit Dominica, celebrabitur Pascha in ea die; & tamen in ea die est Aequinoctium. Et Luna quarta decima præcedit Aequinoctium, & pertinet ad vlti-

um mensis anni, non primum. Fac item Aequinoctium contingere die vigesima Martij, duabus horis post meridiem, & horis viginti duabus ante meridiem vigesima primæ diei Martij, Pascha rejicietur in secundum mensis anni, eo quod Luna quarta decima incidat ante diem vigesimam primam Martij, & eam tanquam Lunam vltimi mensis Ecclesia habet: eo quod antecedit vigesimam primam diem Martij, in quo Aequinoctium collocavit: cum tamen cadat in ipsum diem Aequinoctij veri & naturalis. Ecclesia enim Lunam quartam decimam, quæ antecedit diem vigesimam primam Martij, habet pro Luna duodecima, & vltimi mensis; quamuis incidat in Aequinoctium verum & naturale, quoniam cadit ante Aequinoctium Ecclesiasticum: & Lunam quartam decimam, quæ cadit in diem vigesimam primam Martij, habet pro Luna legitima, & 2<sup>a</sup> ad celebritatem Paschæ, quamuis antecedit Aequinoctium verum & naturale, quia cadit in Aequinoctium Ecclesiasticum, non ante illud. Nec in his est aliquid absurdum; cum hæc protulerint, quia Ecclesia vnum tantum diem tribuit Aequinoctio ob concordiam omnium Christianorum in Paschate celebrando in vno eodemque die; cum tamen Aequinoctium verum & naturale duos dies deposcat, vt dixi. Est igitur duplex Aequinoctium, verum, & Ecclesiasticum; & duplex primus mensis, verus & Ecclesiasticus.

## Cap. VI.

### Alia de celebritate Paschæ questio- nes soluntur.

Primo queritur, Quota Luna primi mensis Christus Dominus vna cum Discipulis suis agnum Paschalem comedit, & An eadem die, quæ Christus, Iudæi etiam Pascha fecerint? Verus sane & difficilis questio est, An eo anno quo Christus Dominus est occisus, Iudæi suam Pascha celebrauerint, feria quinta, hoc est, An eodem die, quo Christus, videlicet ad vesperam ferie quintæ, agnam immolauerint, & ederint, an vero postis feria sexta, in qua Christus est in crucem actus, Pascha comederint ad vesperam eius ferie. Quinque super hæc re sunt sententia discrepantes. Prima est Græcorum, quam secuti videntur Euthymius in *Matthæo* c. 26. super illa verba: *Vespere autem factis discumbebat (Dominus) cum duodecim; Cedrenus in compendio Hyst. cum agit de Augusto Imperatore; Nicepho. lib. 1. ca. 28.* eo anno Paschæ diem festum in sabbatum incidisse, & feria sexta ad vesperam Iudæos agnum immolasse, & comidisse, ac ita Christum Dominum agni Paschalis escam antcipasse; vt qui agnum ederit Luna decima tertia ad vesperam ferie quintæ. Et proinde quia ante Lunam decimam quartam Iudæi fermenta o pane vesebantur, Christum Apostolos in ea cæna fermentato pane vfos fuisse, & in eo Eucharistiæ sacramentum consecisse. si enim, inquiunt, in feria sexta, in qua Christus vs est occisus, festus dies Paschæ ageretur, non liceret Iudæis eo die accusare, condemnare, cruci affigere, angariare, sepelire, quæ omnia refert Evangelica historia eo die Iudæos fecisse. Immo pij ac religiosi Iudæi curarunt Dominicum corpus è cruce tollendum, sepulture mandandum, aromatata emenda, ac cetera paranda, quia inclinabat iam dies, ac sabbatum appetebat: ergo dies ille erat profestus. Ioan. item 13. vbi sermo est de vltima Dominica cæna, dicitur: *Ante diem festum Paschæ*: sed ea cæna facta est ad vesperam ferie quintæ, & dies festi more Iudaico, celebrabantur à vespere vnius diei vsque ad vesperam sequentis: ergo ea vespere, qua Christus cenabat, iam inceperat dies festus Paschæ, si eo anno incidit in feriam sextam: sed Ioannes ait: *[Ante diem festum Paschæ]* ergo ea cæna nequaquam fiebat in vespere sequentis diei festi. Insuper Ioan. 18. dicitur: *Non introibitis in Prætorium, ut non contaminaremini, sed*

ut man-

ut manducarent Pascha. Ergo Iudæi agnum nondum comederant: Postremo Ioan. 19. legimus: *Erant autem Parasceue Pascha hora quasi sexta*, ergo in feria sexta erat præparatio Paschæ, non Pascha. Ibidem quoque subiungit Euangelista: *erat enim magnus dies ille sabbati*: videlicet, quia in illud sabbatum incidit dies festus Paschæ. Atque hæc est Græcorum opinio, quam constans omnium Latinorum sententia confutauit, & contra Græcos Epistolam scripsit Anselmus de *Fermento & Azymo*, & Innocent. III. lib. 4. de *Mysteriis Missæ* cap. 4. Græci in hac re tueri se nituntur auctoritate Irenæi, Origenis, Epiphaniij, Chrysostomi, Cyrilli: sed reuera hi Patres, vt mox dicam, solum aiunt Christum Dominum passum, & mortuum fuisse Luna quarta decima: sed non sequitur, vt inserunt, agnum Paschalem comedisse Luna tertiadecima, vt Græci volunt. Item aiunt Christum esum agni anticipasse: sed non inde fit, vt dixerint comedisse agnum Luna tertia decima, sed Iudæos esum agni distulisse.

Secunda sententia est Rupertij Turicensis in *Leuiticum* lib. 2. cap. 36. & in *Matthæum* lib. 10. cap. 26. super illa verba: *Scitis quia post biduum Pascha fiet*. asserentis fuisse veterem Iudæorum traditionem, ante Christi Domini aduentum: vt quando dies festus Paschæ in feriam sextam cadebat, transferretur in diem sabbati proxime sequentis: ne duo festi dies, in quibus operari non liceat, continuarentur, quod Iudæis nimium graue, & durum esset. Et proinde ait, eo anno feriam sextam fuisse diem profestum, & diem festum Paschæ iuxta veterem Traditionem, in diem sabbati fuisse translatum. Sed quamuis dies festus Paschæ in sabbatum transferebatur, esus tamen agni Paschalis minime distinebatur, sed Luna decima quarta inter duas vespertas, instituto legis, immolabatur agnus & comedebatur: nec enim causa suberat differendi in alium diem esum agni, erat tamen legitima causa diem festum Paschæ transferendi. Itaque Rupertus fatetur Christum & Iudæos eodem die comedisse agnum, & panes azymos, quia feria quinta ad vespertam, fuit decima quarta Luna primi mensis: ait tamen, feriam sextam, diem profestum fuisse, cum deberet coli dies festus Paschæ, qui in sabbatum est relictus, & propterea eo die licuisse Iudæis opera facere, quæ feruilia dicuntur, & verè itidem scripsisse Ioannem de vltima eadem Dominica: Ante diem festum Sic Rupert.

Cæterum hæc sententia quamuis à Græcorum opinione plurimum differat, mihi non placet, & eam merito confutauit Francolinus *Tractat de Tempore Horæ Canon. cap. 52.* Nam huiusmodi festorum translationes solum ex Rabinorum libris colliguntur, non è sacris litteris: & Iosephus lib. 2. *Antiquit. cap. 13.* nihil harum translationum meminit: & ex post Christi Domini mortem videntur à Iudæis constitutæ.

Tertia sententia est Pauli Burgeni in *Additionibus ad Tyranum*, *Matth. 26.* quam multi Theologi nostri sæculi amplexati sunt, videlicet Ioannes Henzenius in *Præfat. commentarij. Euthymij super Euangelia*; Gagnacius in *illud Ioan. 18.* Et ipsi non introierunt in Prætorium. Iansen. in *Concord. Euangelica* cap. 128. Ambros. Catharinus lib. 2. *Annos in Cæteranum super illud Mar. 14. Quando Pascha immolabatur.* Eandem sententiam sequuntur Ioan. Lucid. in *Opus. de vltimo die Passonis Christi*. 9. Onuphrius lib. 2. *Commentarij de festis*. Scultetus in *Chronologia in principio*, & alij quos refert Francolinus *Tractat de Tempore Horæ Canon. cap. 51. nu. 3.*

Quorum omnium sententia; est fuisse veterem Iudæorum traditionem, vt nunquam Pascha, si incidere in secundam, quartam, vel sextam feriam, eo die celebraretur, sed transferretur in diem proxime sequentem. Vnde aiunt, eo anno Pascha incidisse in feriam sextam; & propterea Iudæos suorum Maiorum traditionem seruantes, in sabbatum translulisse; Christum vero cum discipulis agnum feria quinta ad vespertam comedisse, quia legem, non traditionem veterem seruauit, maluit enim legislationem habere quam traditionis humanæ. Et ita mortuus est eodem die, quo Legis instituto agnus Paschalis im-

Azer. Inscr. Moral. Pars 2.

molari debebat, vt typo & figuræ veritas responderet. Hec Burgensis & aliorum sententia ab opinione Rupertij eo solo differt, quod secundum Burgensem Iudæi tum esum agni, tum festum Paschæ in sabbatum reiecerunt iuxta veterem maiorum traditionem: at secundum Rupertum dies festus Paschæ in sabbatum est translatus; agnum vero eadem vespere quæ Christus, ceteri Iudæi immolarunt & comederunt.

Sed hæc opinio multis argumentis refellitur à Soto in 4. dist. 9. q. 1. ar. 4. & à Francolino in *Tract. citato de Horæ Canon. cap. 52. 53. 54.* Profecto nulla ratione mihi placet huiusmodi festorum apud Hebræos translationes, quoniam vt supra iam dixi, nulla sacrarum litterarum auctoritate comprobantur: sed solum ex libris Rabinorum, aut traditionibus Iudæorum post Christi Domini mortem habentur: vnde recentes sunt Iudæorum traditiones nullo Legis testimonio suffultæ.

Superfunt duæ sententiæ discutiendæ: de quibus dicam breuiter, vtra sit probabilior, verior, & sacris litteris magis consentanea. Vna sententia est Scholasticorum Theologorum communi consensu recepta, Iudæos agnum Paschalem edisse: feria quinta ad vespertam, in qua etiam Christus comederat; & in feria sexta celebrasse diem festum Paschæ, in quo die occisus est Christus? (ac proinde in die festo Paschæ, nimirum in decima quinta Luna mortuum fuisse) & in decima quarta ad vespertam, hoc est, ad finem & exitum illius, agnum comedisse Paschalem, ac venerabile Eucharistiæ Sacramentum instituisse. Contra hanc opinionem quatuor vel quinque argumenta obijciuntur, in quibus reuera difficultas inest. Nam si dies festus in feria sexta agebatur, quomodo licuit Iudæis accusare, condemnare, arguere, in crucem agere, è cruce tollere, sepelire, aromata comparare? Deinde, quomodo dixit Ioannes: *Ante diem festum Paschæ*: cum inchoatus Paschæ dies iam esset Christo cum discipulis conueniente eo quod festi dies colebatur ab vna vespere ad alteram. Quomodo item dicit Euangelista de feria sexta loquens: *erat parasceue Paschæ*? Insuper si in feriam sextam incidit dies festus Paschæ: ergo in sabbatum cecidit Luna decima sexta. Sed *Leuit. 25.* ab altero die post Pascha, qui erat decima sexta Luna primi mensis, computari incipiebant septem hebdomadæ integræ, quæ conficiunt quadraginta nouem dies, & quinquagesimo die proxime sequenti colebatur Pentecostes celebrata: ergo eo anno Pentecostes dies festus incidit in diem sabbati: nam si numerentur ab vno sabbato septem hebdomadæ complentes quadraginta nouem dies, finiuntur in feria sexta, & dies sabbati proxime sequens erit quinquagesimus: at Ecclesia celebrat Pentecosten in die Dominico: igitur eo die Spiritus sanctus in Apostolos descendit: & proinde septem hebdomadæ eo anno inchoatæ sunt à die Dominica proxime sequenti diem festum Paschæ, quem diem Iudæi colebant. Postremo, quo modo dicit Ioannes cap. 18. de Iudæis *Non introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*? & quo modo veritas figuræ responderet, si Christus Dominus verus agnus passus, & mortuus est Luna decima quinta? cum tamen agnus typicus Luna quarta decima immolaretur ex Lege? & quo modo dixerunt Iudæi: *Non in die festo, si in festo die Christum occiderunt*? Verum ad hæc argumenta, vt prædixi, Theologi haud ita facile, vt dicitur inferius respondent: quippe quæ magnum eis negocium facessunt, hæc itaque est sententia Scholasticæ. Sic enim docent Alexander 4. p. q. 10. memb. 4. ar. 1. §. 3. Albert in 4. dist. 11. art. 5. Thom. 3. p. q. 46. ar. 9. ad 1. & 4. dist. 11. art. 2. q. 2. art. 2. q. 3. & 4. contra Gen. cap. 69. Episcopus. contra errores Græcorum prope finem Bonauent in 4. dist. 11. part. 2. art. 2. q. 1. Richard. in 4. dist. 11. art. 2. q. 3. Scorius in 4. d. 11. q. 6. Duran 4. d. 11. q. 4. nu. 10. Argen. in 4. dist. 11. q. 1. art. 1. a. 1. concis. 3. Gabriel super Canonem Missæ lect. 34. sic etiam Innocent. III. lib. 4. de *Mysterijs Missæ* cap. 4. Altiflod. lib. 4. *Tractat. 5. q. 7.* Auctor Historiæ Scholasticæ in Hi-

Ioan. 13

Idem 18.

B ster.

stor. Evangel. cap. 14.9. Hæc opinio vesperam ad quam Lex iubebat agnum Paschalem comedi in Luna quarta decima, dicit esse vesperam, quæ eam Lunam quartam decimam terminabat, non quæ eam inchoabat: & ita Paschalis agnus edebatur ad finem Lunæ decimæ quartæ, non autem initio illius Lunæ.

Restat iam alia sententia, noua quidem, sed quæ facilior, simplicior, planior & aptior quibusdam videtur: nempe Christum & Iudæos eodem die agnum comedisse Paschalem, nimirum Luna decima quarta ad vesperam: non ea quæ Lunam quartam decimam terminauit & clausit, sed quæ inchoauit: ita vt ea Luna decima quarta cæperit à vespera feriæ sextæ: & totus ille dies à vespera ad vesperam fuerit profestus. Deinde vero cæpit Luna decima quinta à vespera feriæ sextæ continuata vsque ad vesperam, sabbati proxime sequentis: & in illa Luna decima quinta erat dies festus azymorum, sive Pascha, & Christus mortuus est in feria sexta, in quam cecidit Luna decima quarta; & proinde pridie festi diei Paschæ, scilicet Luna quarta decima agnum Paschalem cum discipulis comedit, & eadem Luna & die quæ per totam feriam sextam durauit, in crucem actus, & mortuus est. Et ita veritas, nempe agnus verus, figuræ & ymbrae, id est, agno typico respondit. Nam *Leuit. 23.* habentur hæc: *Mense primo quarta decima mensis ad vesperam Pasche Domini est: & decima quinta die mensis huius solennitas azymorum. Domini est,* quod idem est, ac si diceret: Luna decima quarta primi mensis ad vesperam agnus immolabitur & edetur, & Luna decima quinta proxime sequenti gertur dies festus azymorum. Sed apud Iudæos sicut dies festi numerantur à vespera vnius diei vsque ad vesperam alterius: sic etiam dies profestus, iuxta illud *Genes. 1.* *Factum est vespere & mane dies unus:* ergo cum Scriptura præcipit agnum Paschalem immolari Luna decima quarta ad vesperam, loquitur de vespera, à qua incipit Luna decima quarta, & non de vespera, in qua definit: ac propterea totus ille dies fuit profestus vsque ad vesperam feriæ sextæ: in qua cæpit Luna decima quinta, & dies festus Paschæ. Sic *Oleaster Lexitic. 23.* explicans illa verba: *in Lucam 22.* in illa verba: *Veni autem dies azymorum.* Nec noua quidam inquirunt, est hæc sententia, quoniam eam simul cum illa Theologorum opinione communi proponit Maior in quart. distinet. 13. quæst. prima versus sexto arguitur. Et iuxta utramque sententiam argumenta Græcorum soluit, & Bonauenturæ. in quart. distinet. vndecim. *Par. 2. distinet. ar. 2. quæst. ait: Ad illud quod obiicitur quod præuenit quia crucifixus est decima quarta Luna: Respondent quidam quod Luna decima quarta est crucifixus, quia solennitas, inquit, durauit à sero vsque ad aliud sero: Vnde primo sero comedit agnum, & antequam venerit alterum sero, est crucifixus. Aliter dicitur, & melius. Hæc Bonauentura, vbi prædictam opinionem non improbat; imo etiam vt probabilem sequi videtur Alexander. 4. p. q. 10. memb. 4. q. 1. Vbi postquam ad Græcorum argumentum respondit iuxta sententiam communem Theologorum, quæ docet Christum crucifixum Luna decima quinta, subiungit hæc: *Aliter potest dici secundum veritatem Legis: quia dies sollemnes currebant à vespera ad vesperam. Vnde *Leuitic. 23.* dicitur: *Vespera vsque ad Vesperam celebrabitis sabbata vestra. Præterea istud plane determinatur de festo Pasche. Vnde *Exod. 12.* *Primo mense quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. Ecce quod currebant festa à vespera ad vesperam. Vnde cum quarta decima die ad vesperam debuit immolari agnus typicus, sicut habetur *Exod. 12.* vespera illa fuit de die sequenti: & ita eodem die fuit immolatus agnus typicus, & verus.* Sic ille.***

Hæc duæ opiniones partim conveniunt inter se, partim differunt. Conveniunt primo, quod utraque affirmat, Christum & Iudæos agnum Paschalem comedisse in feria quinta ad vesperam eius diei. Secundo quod utraque opinio docet, Christum fuisse in crucem actum,

& mortuum feria sexta. Tercio, quod utraque habet unitum & Iudæos eodem die, videlicet Luna quarta decima agnum comedisse. Differunt vero eæ opiniones. Primo, quod opinio communis Theologorum, quæ est prima, asserit Christum crucifixum & mortuum esse Luna decima quinta. Secunda opinio ait: id accidisse Luna quarta decima, quæ incidit in sextam feriam hebdomadæ. Secundæ, quod prima opinio tradit, Christum occisum fuisse in die festo Paschatis, qui incidit in feriam sextam; secunda vero, peremptum fuisse in die profesto sive profano; qui fuit feria sexta. Tertio, quod prima opinio censet, Christum & Iudæos agnum Paschalem comedisse Luna quarta decima ad vesperam; quæ eam Lunam & diem terminauit & clausit, & inchoavit Lunam decimam quintam; & diem festum Paschatis. Secunda opinio vult eos comedisse agnum Luna quarta decima ad vesperam, quæ inchoauit, non quæ terminauit eam Lunam, & diem: & quod ea Luna durauerit per totam sextam feriam, ad cuius vesperam incepit dies festus Paschatis continuatus per totum sabbatum, Francoli. *Tract. de Horis Canon. cap. 67. mem. 10.* affirmat auctores secundæ opinionis (quos ille putauit esse tantum Oleastrum & Stellam, toto celo aberrasse, & valde deceptos fuisse. Sed contra quidam alius innuit dicit Auctores primæ opinionis turpiter falli. Ego certe existimo, hos Auctores seueros vitium & ritus fuisse censores. Nam prima opinio est omnium Theologorum, quos supra memoravi, communi consensu comprobata, & multorum Patrum auctoritate suffulta: & secunda opinio non solum Oleatri, & Stellæ testimonio, sed etiam aliquorum Patrum auctoritate confirmari videtur, & Bonauentura, Alexander, & maior eam, vt probabilem reliquisse creduntur. Pro prima opinione faciant *Ambros. epist. 83. ad Episcopos per Emilianam constitutos.* vbi ait: *Ipsæ ergo, qui Logem locutus est, postea veniens per virginem, nonisimis temporibus plenis iudicem Legis consummavit, qui venit non Logem soluere, sed implere: & celebravit Pascha hebdomada, in qua fuit quarta decima Luna quinta feria. Domine ipsa die Christus (vt superiora docent) Pascha cum discipulis maducauit: sequenti autem die, hoc est, sexta feria crucifixus est Luna quinta decima. Sabbato quoque magno illo, sexta decima fuit. At per hoc septima decima Luna egerit à mortuæ. Et paulo inferius: si quidem sequitur quinta decima Luna, in qua passus est Christus: sexta decima Luna qua Domini caro in sepulchro quiescit: septima decima Luna, qua Dominus resurrexit. Theophilus Alexander vt scribit *Beda* in lib. de Ratione temporis cap. 57. & 59. *Saluator noster*, inquit, *decima quarta quidem Luna traditus est, hæc est, decima septima Luna, qua tunc in Dominica die videtur inuenta. Beda* in lib. de Ratione temp. cap. 45. ait: *Nam quod Dominus decima quinta Luna sexta feria crucem ascendit, & vna sabbatorum, id est, Dominica resurrexit à mortuis, nulli licet dubitare Catholicæ, ut legi, qua agnum Paschalem decima quarta die primi mensis ad vesperam immolari præcipit, pariter & Evangelio. quod Dominus eadem vespera tantum à Iudæis, & mane sexta feria crucifixus & sepultus, prima sabbati resurrexisset perhibet, videntur incredulus. Sic ille. Item Patres testatur Christum Dominum occisum esse à Iudæis in die festo Paschatis. *Orig. hom. 23. super numeros* ait: *Quoniam in loco sancto, & in die festiuitatis Dominum meum Iesum Christum crucem occiderunt, propterea dicit ad eos: Neomenas vestras, & sabbata, & dies festos odit anima mea. Idem quoque testatur *Tertullianus lib. Aduersus Iudæos cap. 8.* ad finem. & c. 10. ad finem. *Clemens lib. 5. Constit. c. 14.* In iplo enim die festo Dominum comprehenderunt. *Chrysost. hom. 87. super illud Matthei cap. 27.* Per diem autem solemnem: Preposuerunt itaque illum orbis Saluatori, nec rationem temporis aliquam habuerunt, quod sanctum erat asque solemne. *Cytil. Catechesi 13. loquens de passione Domini, ait: In die enim Azymorum, & solemnii mulieres ipsorum, (scilicet Iudæorum) plangebant & flebant, Apostoli vero occulati dolebant. *Socraat. lib. 5. Hist. Eccles. cap. 2. Cassiodor. in Trip. lib. 9. ca. 78.*****

Mat. 9.

lunt, Seruatorem Azymorum tempore passum fuisse, cum celebre apud Iudæos ageretur festum, vt ostenderent illi, quod in diebus festis in eade & sanguine polluerent. Augustinus Tract. 50. in Ioannem in principio super illud Ioan. 11. Proximum autem erat Pascha Iudæorum. Illi, inquit, diem festum Iudæi cruentum habere Domini sanguine voluerunt: illo die festo occisus est agnus, qui vobis eundem diem festum suo sanguine conferauit: Idem quoque glossa interlinearis, dum explicat illud Psal. 73. Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solennitatis. Postremo Dionysius in Epist. ad Polycarpum, que est 7. Et in Ep. 11 ad Apolloniam refert, Lunam fuisse plenissimam, cum Christus est a Iudæis occisus: ergo erat Luna quinta decima.

Pro secunda sententia facere videntur in primis Augustinus in lib. *Questionum ex utroque testamento* q. 106. vbi ait: [Inter principium ergo & claritatem, quia illuminatus est mundus, Saluator noster & passus est, & resurrexit, quia quarta decima Luna passus est, prima die resurrexit, qui ideo Dominicus dicitur] Oros. lib. 7. cap. 4. [Eadem quoque die ad horam sextam sol in totum obscuratus, terraque nox subito obducta terris est, & sicut prædictum est.

*Inpiague aternam timuerunt secula noctem.*

Vsq; adeo autem neque Lunam lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum est, vt decima quarta ea die, Lunam tota cæli regione interiecta longissime à conspectu solis abfuisse, & stellæ tunc diurnis horis; vel potius in illa horrenda nocte toto cælo fulsisse referatur; Anselmus in *Matthæi*: c. 27. super illa verba: Altera autem die, que est post Parasceuen Invenimus, inquit, in ipso anno, quo Dominus crucifixus est; iuxta Lunares annos octavo idus Martij fuisse Neomeniam, id est, noua Luna principium, & iuxta Hebræos, ipsius anni principium: Et duodecima Kalend. Aprilis in ipso vernali Equinoctio sexta feria, Luna decima quarta ferua Pascha Hebræorum fuisse, vt eo die Agnus Dei pro salute hominum in cruce pendaret, qua die agnus in liberatione populi occidi iussus est, ipsa sua morte dividere videtur inter lucem & tenebras, hoc est inter fideles & infideles. Item lib. 4. ca. 23. videtur aperte docere, Christum passum esse in ea Luna, eo die, tempore; in quibus Pascha imperatum fuerat à Mose Epiphani. *Hæresi* 50. oportebat, ait, Christum in decima quarta die secundum Legem, vt desinat apud ipsos lumen, quod inflammat ipsos secundum Legem orto Sole, & Luna splendorem vident. Hæresi quoque 51. testatur, Christum Dominum Luna decima quarta passum fuisse. Idem quoque videtur dicere Origenes *tract. 35.* dum explicat illa verba: Scitis quia post biduum Pascha fiet, ait, Christum in decima quarta die: Et post non introierunt in Prætorium: Et Pascha intelligitur inquit, vel tota solemnitas septem dierum, vel agnus Paschalis quem eo die confecturi erant. Christus autem pridie fecerat Pascha vt referatur eadem suam in parasceuen, quando Pascha secundam antiquam institutionem celebrandum erat. Eadem prope verba habet Theophylactus in Ioan. 18. explanans illa verba. Et non introierunt in Prætorium: Et super *Matth. 27.* in explanatione illorum verborum: A sexta autem hora tenebre factæ sunt: Tenebræ, inquit, factæ non erant iuxta naturam diuinam, vt ex eis ipsi soli naturæ alter factæ: neque enim quando est decima quarta Luna, sit solis deliquitum: cum autem crucifigeretur, omnino decima quarta Luna erat: Pascha enim Hebræorum tunc fiebat. Et Cyrillus lib. 12. in Ioann. cap. 2. in illud: Non introierunt in Prætorium: ait, Quia Pascha iam celebrata erat, ne eade hominis ipsi macularentur. Francol nus *tract. de bonis Canonis* cap. 67. qui tantum primam opinionem probabilem putat, interpretatur Epiphanium, & alios Patres, qui tradiderunt Christum Luna quarta decima mortuum fuisse, ita vt sententia eorum fuerit, occisum esse Christum Luna quartæ decima completa & transacta, sed reuera hæc in interpretatio, vt patet, sensum prædictorum Patrum euerit: nam perinde est ac si diceretur, Christum mortuum esse Luna quinta decima.

Ex. 11.

Alij, qui defendunt secundam sententiam, aiunt, Ambrosium, Bedam, & alios Patres qui dicunt Christum interfectum esse Luna quinta decima, & in die festo Paschatis id dixisse, quia in feria sexta, in qua est Christus inortuus, cepit ad vesperam eius ferie Luna quinta decima, & plenissima, & dies festus Paschatis Ego certe, quamuis quidam putent probabilem esse secundam sententiam, probabiliorem & verioram tamen existimo primam, nec in hac controuersia arbitror esse à communi Theologorum opinione recedendum: quod ita probo. Nam cum probabile sit, Legem cum præcipit *Exod. 12. Leuit. 23.* Luna decima quarta ad vesperam agnum typicum immolari & edis, loqui de vespera, quæ Lunam decimam quartam inchoabat: probabilius tamen est loqui de vespera, in qua Luna quarta decima claudebatur: quoniam probabile quidem est apud Hebræos, cum festos & sacros, tum etiam profestos & profanos dies, numerari solitos ab vna vespera ad alteram: ita vt vespera prima ad diem sequentem pertineret, eo quod ab ea dies incipiat, & secunda vespera, quæ diem præcedentem claudit & terminat, non ad eum diem spectet, sed ad sequentem quem inchoat; & probabilius tamen mihi videtur, festos quidem dies apud Hebræos, iuxta id quod habetur *Leuit. vigesimo tertio*, numerari à vespera in vesperam, ac dies profestos non item: ac proinde eos dies vnâ tantum vesperam habere; videlicet eam, in qua dies finitur & desinit: Et cum in Lege dicitur: *Agnum immolabis Luna decima quarta ad vesperam*; sensus est ad vesperam, quæ eam Lunam finit & claudit: Et quia in Luna decima quinta proxime sequenti erit dies festus Paschatis, Luna decima quarta vespera erit finis illius diei, qui erat dies profestus, & initium diei proxime sequentis festi. Quare cum in lege aliquid factum esse dicitur ad vesperam alicuius diei profani, nisi aliud exprimat, intelligitur factum esse in vespera, in qua dies ille terminatur: sicut cum nos dicimus aliquid factum esse in sabbato, aut Dominica die ad vesperam intelligimus factum in vespera, in qua finitur sabbatum aut Dominica, non ea, in qua incipit sabbatum; aut Dominica. Ex his perspicitur, Christum & Iudæos agnum Paschalem comedisse Luna decima quarta ad vesperam, videlicet eam, quæ eam Lunam terminauit, & quæ inchoauit diei festum proxime sequentem in Luna decima quinta. Et quamuis ita dicendum existimo, nihil tamen est in vtraque sententia, quod cum Scripturis factis, aut cum Scriptorum Patrum testimonijs pugare videatur.

Secunda opinio, vt eius auctores aiunt, in quibusdam maxime conuenit cum Historia Evangelica. Nam Ioannes dixit: *Ante diem festum Pascha*: quia Christus, inquit, cenauit ad vesperam ferie quinta, à qua incipiebat Luna decima quarta, qui dies erat profestus proxime præcedens diem festum Paschalem, qui celebratur Luna decima quinta: & hæc cepit à vespera ferie sextæ, continuata vsque ad vesperam sabbati proxime sequentis. Item omnes Evangelistæ, aiunt huius opinionis pariter, nullo negotio conciliantur. *Matthæus enim cap. 26.* cum ait: *Prima die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Vbi vis paremus tibi commedere Pascha?* Marcus vero 14. *Primo die Azymorum quando Pascha immolabatur.* Lucas cap. 22. *Veniit dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha:* hæc omnia intelliguntur non de primo die Azymorum festo, sed pro festo; hoc est, non de Luna decima quinta, sed decima quarta. Azymi enim panes incipiebant comedi à decima quarta Luna, die quidem profesto: nam decima quinta Luna erat dies primus Azymorum; sed festus: *Exod. enim 12.* sic dicitur: *Primo mense quarta decima die mensis ad vesperam comeditis azyma vsque ad diem vigesimum primum eiusdem mensis ad vesperam:* ergo azymorum eius per octo dies durabat quod expresse Iosephus lib. 2. *Antiquit. 13. prope finem* tradidit, vbi ait: *Vnde et in memoriam illius inopia festiuitatem octo dierum agimus, quæ dicitur, Azymorum.* Sic ibi.

Cum vero Scriptura dicit ibidem *Exod. nempe 12. & Leuit. 23. Septem diebus azyma comeditis, & dies primus erit celeberrimus.* Loquitur de diebus Paschalibus Azymorum, qui septem erant, nimirum postquam immolatus fuerat





agnus, quem comederat die precedenti, & primus & ultim<sup>us</sup> illorum septem, erant festi, & interiecti quinque profesti. Tres igitur Evangelistae Matthaeus, Marcus, & Lucas loquuntur de primo die Azymorum, in quo agnus immolabatur ad vesp<sup>er</sup>am, & per familias edebatur. Ioannes vero, cum ait: *Ante diem festum Paschae*: declaravit illum diem fuisse quidem primum simpliciter Azymorum, sed non festum; ac propterea in eo die fuit licitum Iudaeis facere opera feruilia.

Congruit etiam haec opinio, vt docent eius defensores cum eo quod Luc scribit Act. 2. *Cum compleverentur dies Pentecostes*: fuit enim ille dies Dominicus, sicut cum coluit semper & colit Ecclesia; quoniam dies festus Paschae Iudaeorum eo anno in sabbatum incidit, & septem hebdomadae computari coeperunt, institutis Legis a die Dominico proxime sequenti, & non ab ipso die Paschae, & ita desierunt in sabbatum diem quadragesimum nonum, & in die Dominico proxime sequenti fuit festus quinquagesimus Pentecostes.

Conuenit item cum eo quod dicit Ioannes; *Erat magnus dies illi sabbati*: nimirum quia in eo sabbato celebratur dies festus Paschae. Et congruit cum eo quod idem Ioannes ait: *Erat Parasceue Pascha*. Insuper cohaeret maxime cum eo, quod dicit Iosephus lib. 2. *Antiqui. cap. 13. Cum autem illucesceret quarta decima dies, omnes ad egressum tendentes & immolantes sanguinem domus proprias byssopi frondibus mundabant*. Ergo secundum Iosephum, agnus immolabatur Luna quarta decima incipiente ad vesp<sup>er</sup>am eius diei, non ad vesp<sup>er</sup>am, quae eum diem terminabat. Postremo consentit plurimum cum eo, quod narrat historia Evangelica; videlicet, Iudaeos non solum impios, sed etiam eos qui pii erant, in feria quinta fecisse multa opera, quae in die festo fieri non poterant.

Ceterum contra hanc secundam sententiam multa obijciuntur: Primum est, illud Ioan. 18. *Non introierunt in Praetorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*: quod etiam argumentum communem Theologorum sententiam labefactare videtur. Respondet eius Patroni, nomine Paschae ibi non intelligi agnum Paschalem, quem Iudaei ante comederant instituto legis, Luna quarta decima ad vesp<sup>er</sup>am: sed agnos siue arietes, quos iussu Dei mane & vesp<sup>er</sup>e per totos illos dies Azymorum immolare oportebat, quibus etiam Iudaei vesciebantur; & non nisi mundi. Vnde Iudaei statim atque Christum cruci affixerunt, discessuri erant, & immolaturi Deo agnos siue arietes tanquam sacrificium vespertinum: qui, vt paulo ante dixi, quoniam per dies Azymorum macabantur, Pascha, id est, Paschales vocabantur: quod superius sacramentum literarum testimonijs comprobauimus. Deinde & illud obijci potest contra secundam sententiam, quod in Evangelijs habetur, Christum esse mortuum in die festo, quoniam Iudaeis dicebat Pilatus: *festum autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha, siue in die festo*: I ergo festus erat ille dies, in quo Christus est mortuus. Respondebunt Auctores illius sententiae: *Erat Pascha, quia dies festus agebatur*. Rursus dimitti solebat vnus de carcere, quia erat ante diem festum Paschae: qui vero liberabatur, dimitti dicebatur in festo, quoniam ob cultum, & honorem diei festi proxime sequentis soluebatur a vinculis: sicut nunc etiam alicubi in periculo certi diei festi aliquis capitis sententia damnatus, solet vita donari de carcere liberatus; vt ipsum diem festum summa animi cum laetitia transigat.

Tertio obijciuntur contra eandem secundam opinionem, Quod Christus Dominus passus, & mortuus fuerit in die festo Azymorum siue Paschalis iuxta communem sententiam Patrum: nam, vt supra dixi, id testatur Origenes, Tertullia, Clemens, Chryso. Cyrillus, Augustinus, Beda, Anselmus; aiunt enim fuisse occisum primo die Azymorum, cum pridie cum discipulis coenasset. Sed argumentum diluunt Auctores secundae sententiae in hunc modum: *Christi typus & vmbra fuit ille agnus legalis; quare sicut agnus*

Luna quarta decima occidebatur, & die profesto non festo, pridie, tamen diei festi Paschalis; sic etiam occisus est Christus verus agnus Luna decima quarta, & pridie Paschalis, hoc est ante diem festum Paschae: & Patres primo die Azymorum aiunt Christum occisum: quod etiam secunda opinio fatetur. Sed is dies erat decima quarta Luna, & proinde veritas respondet vmbrae, & typo; & figura: nam agnus legalis decima quarta, non decima quinta Luna macabatur. Postremo id opponi contra secundam sententiam solet quod apud Iudaeos dies festi computari incipiunt ab vna vesp<sup>er</sup>a vsque ad alteram sequentem, sed non dies profesti: ergo vesp<sup>er</sup>a Luna quartae decimae, in qua Lex iubebat agnum occidi, erat finis & terminus diei profesti, qualis erat decima quarta Luna, initium tamen diei festi, qualis erat Luna quinta decima. Item haec phras<sup>is</sup>: *Ad vesp<sup>er</sup>am certum diei quippiam esse factum*; significat vesp<sup>er</sup>am, quae illum diem claudit, non eam, quae eum diem inchoat. Respondent defensores eiusdem sententiae, *Leuit. 23. expressim sabbata, id est, festos dies numerari a vesp<sup>er</sup>a ad vesp<sup>er</sup>am*: nihilominus tamen Gen. 1. loquens Moses generatim de omni die, dixit: *factum est vesp<sup>er</sup>e, & mane dies vnus*; id est, primus. Constat quidem Basilium, Ambrosium, & Bedam, dum hunc Genesis locum exponunt, vesp<sup>er</sup>am intelligere eam in qua finitur, & definit dies ciuili<sup>s</sup> ab ortu vsque ad occasum solis: Et (mane) interpretari illud, quod claudit ac terminat noctem, non quod inchoat ciuilem diem. Ita vt sensus sit: *Factus est dies ciuili<sup>s</sup> ab ortu lucis vsque ad occasum*: & nox, quae terminatur ortu diei sequentis, & fuit dies naturalis viginti quatuor horarum. Nihilominus tamen probabile videtur, Mosem esse locutum more suae gentis, quae numerabat dies naturales quoslibet a vesp<sup>er</sup>a vnus diei vsque ad alteram diei sequentis. Si queras ab his Auctoribus, cur igitur Lex expressit, vt dies festi numerarentur a vesp<sup>er</sup>a ad vesp<sup>er</sup>am, si omnes illi dies ita de more numerabantur? Respondent non id expressisse Legem tanquam quid nouum, & proprium dierum festorum; sed quod erat omnium commune indicasse. Ex quo fit, inquit, vt phras<sup>is</sup> illa *Ad vesp<sup>er</sup>am*, aliquando significet vesp<sup>er</sup>am, vnde incipit dies sequens; aliquando vesp<sup>er</sup>am, in qua dies praecedens terminatur & definit, prout Scripturae verba quae antecedunt, vel sequuntur, exigunt.

Haec dicta sunt, vt secunda opinio, quae probabilis quibusdam videtur, probe intelligatur. sed quia, vt dixi, prima sententia tenenda est, oportet quae contra eam sunt argumenta diluere. Ad illud quod obijciuntur ex Ioanne: *Erat Parasceue Paschale*: Respondeo, Augustinum lib. 3. *de Confes. Euang. c. 13.* id explicare sic: erat praeparatio immolationis Domini, qui est verum Pascha. Sic etiam exponit *Tract. 107. in Ioan.* Meo iudicio, sensus hic est: erat Parasceue non quolibet, sed Paschae, id est, Paschalis temporis: ac si diceret, erat Parasceue, quae incidit in Paschale tempus. Illud item ex Ioanne: *Erat magnus ille dies sabbati*, dictum est, non quia dies festus Paschalis incidit in illud Sabbatum, sed quia incidit in Paschale tempus, & in vnum diem Azymorum. Nam quamuis non omnes dies Azymorum festi erant, at erant tamen omnes celebres, quia incurrebant in Paschale temp<sup>us</sup>, in quo Paschales victimae mane & vesp<sup>er</sup>e macabantur. Ad illud etiam Ioannis: *Ante diem festi Paschae*: Respondeo, id dixisse Ioan de vesp<sup>er</sup>a, & nocte in qua coenauit Dominus, quae tamen ad diem festum Paschalis proxime sequentem pertinebat, eo quod dies festi colebantur a vesp<sup>er</sup>a in vesp<sup>er</sup>am: at erat vesp<sup>er</sup>a, & nox, quae anteedebat diem festum Paschalis non naturalem, sed ciuilem. Dies naturalis constat viginti quatuor horis, & incipit a vesp<sup>er</sup>a, & durat vsque ad alteram vesp<sup>er</sup>am: dies ciuili<sup>s</sup> incipit ab ortu solis, & in solis occasu finitur. Insuper impij Iudaei in die festo multa feruilia opera fecerunt, quia putabant se obsequium praestare Deo, accufando & damnando Christum filium foeminae, & alij Iudaei religiosi crediderunt se praestare iure posse opera quae fecerunt, quia erant opera, & officia pietatis, & charitatis in Christum: &

nihil

Ioan. 18.  
Luc. 23.  
Mar. 15  
Marc.  
27.

Ioan. 11.

nihilominus siluerunt toto Sabbato, hoc est, cessarunt ab his operibus, quia ea opera differre commode potuerunt, donec sabbatum prateriret. Ad illud quod obijcitur. Iudeos primum dixisse: *Ne in die festo, &c.* & tamen in die festo occiderunt Christum: Respondeo, non id dixisse eos ob cultum die festi, sed ne (vt ait Euangelista) tumultus fieret in populo, postea vero nacti occasionem, mutato consilio, in die festo occiderunt, ne occasionem perdendi Christum amitterent, & quia adeo erant rabie in Christum accensu, vt voluerint necem eius amplius differre. Item veritas eū figura confensit: quia vespera, in qua typicus agnus immolabatur, erat finis Lunæ decimæ quartæ, & proinde pertinebat ad diem quintam decimam proximæ sequentem. Ad vltimum de Pentecoste, inferius respondebo.

Ad illud quod ex Iosepho obijcitur, Respondeo, illum ita dixisse: cum illucesceret quarta decima Luna, omnes sacrificabant, quorum verborum sensus est: non quod initio Lunæ quartæ decimæ sacrificassent, sed quod cum Luna quarta decima adueniret, immolabant agnum tempore debito & legitimo. Et cum dicit, celebritatem Azymorum agi per octo dies: hoc ideo dicit, quia finem huius quartæ decimæ pro vno die accipit, videlicet partem diei pro diem Iudæi ex legis præcepto pro azymis panibus vesca incipiebant à fine Lunæ quartæ decimæ vsque ad exitum Lunæ vigesimæ primæ.

Secundo queritur, Quo mense, vt supputant Latini, & quoto die mensis Christus Dominus fuerit mortuus? Cōstantes est veterum Patrum sententia, eum mortuum fuisse mense Martio: & quamuis Ioannes Lucidus de die vero pass. Christi, & alij iuniores doctissimi Astronomi, & Chronologi cum Abulensi in defensorio par. 2. cap. 13. & 16. sentiant, extinctum Dominum fuisse mense Aprili, at dicunt mortuum fuisse in die Lunæ pertinentis ad mensem Martium, hoc est, in Luna Martij, id est, decima quarta, vel decima quinta Luna Martij post Æquinoctium vernū Sed certe non bene isti recentiores cum antiquis Patribus conueniunt, qui expresse dicunt Christum mortuum fuisse in mense Martio, vt tradit Iren. lib. 2. cap. 39. Epiphanius heres. 51. Tertulianus lib. contra Iudeos ca. 8. Quidam eorum restantur id contigisse 25. Martij alij die 26. alij vero 23. die & olim non bene audiuit Abulensis, eo quod scripserit Dominum mortem passum esse die tertia Aprilis, quod in eo contradiceret omnibus Patribus, qui asserunt mortuum esse in Martio: ac propterea Defensorium scripsit postea satis diffusum & longū, quo se ipsum tueretur. Quare quidam existimant, non esse quoddā communi veterum Patrum sententiā recedamus. Vnde laudabilis, inquit, viguit semper præsertim in Italia consuetudo, vt sextæ quæque ferie Martij celebres, & quasi sanctæ habeantur. Nihilominus tamen, vt alij putant iuniores, est valde probabilis opinio asserentium Christum Dominum mortuum fuisse die tertia Aprilis. A trigesimo namque anno Christi secundum computationem Hebraicam, & tabulas Astronomicas, vsque ad quadragesimum nunquam inuenitur Luna quinta decima Kalendis Aprilis, in sexta feria. Evt Paulus Madelburgensis Episcopus Forosemprensis, vir peritissimus, & diligentissimus annoruna vitæ Christi supputator ait: Computatis omnibus Lunationibus tempore vitæ Christi, & vltæius per plures annos, à primo anno Natiuitatis Christi vsque ad sexagesimum nunquam incidit Iudæorum Pascha 8. Kalendis Aprilis in sextam feriam. Sic etiam Abulensis, & Ioannes Lucidus locis citatis. Verum secundum opinionem veterum Patrum difficultas est, Quoto die Martij Dominus fuerit peremptus? Hanc quæstionem disputat Francolinus Tract. de tempore. Horum Canon. cap. 73. & 74. vbi recenset multorum sententias. B. Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. ait Christum mortuum esse octauo Kalendas Aprilis eo videlicet die, quo est in vero Virginis conceptus, nimirum die vigesima quinta Martij id quoque testatur lib. 18. de Ciuit. Dei, c. ult. & lib. Quæstionum octoginta trium quæst. 56.

Asor. Instit. Moral. Pars 2.

Et serm. 22. de Tempore, qui est 18. de Natali Domini, ait: Christum mortuum esse in Æquinoctio verno. Chrysostronus in Sermon. de Natiuitate Ioannis Baptistæ dicit, Cruci affixum esse octauo Kalendas Aprilis, & eodem die fuisse conceptum. Episcopi in Synodo, quam celebrauit Theophylus Episcopus Cæsariensis in Palestina, quæ habetur inter opera Bedæ Tom. 2. ad finem, aibnt mortuum esse Christum octauo Kalen. April. id est, die 25. Martij. sic etiā Tertulianus lib. contra Iudeos ca. 8. Beda in libro de Ratione Temporum c. 28. vbi dicit: *Per plures Ecclesie Magistri tradiderunt, 8. Kalendas Aprilis Dominum conceptum, & passum in Æquinoctio verno.* & cap. 45. Quod autem octauo Kalendas Aprilis crucifixus, sexto Calendarum Aprilium die resurrexerit, multorum late Doctorum constat sententia vulgatum. S. Thom. in Ioannem cap. 2. lect. 3. super illa verba *Quadragesima sex annis, &c.* Durandus in Rationali Diuino officiorum lib. 6. cap. 77. n. 28. & cap. 86. n. 11. & li. 7. cap. 9. n. 3. Antonin. Par. 1. tit. 5. c. 5. V. Iuar. Beda, & cæteri Auctores, qui Martyrologia scripserunt, habent. In die vigesimo quinto Martij Passio Domini nostri: Alij crediderunt. Christum mortuum fuisse die 23. Martij. Sic Lactantius lib. quart. Diuina. Institut. cap. 10. ad finem, vbi sic ait. [Ante diem decimum Calendarum Aprilium Iudæi Christum Cruci affixerunt], ac si diceret: decimo Kalendas Apriles, hoc est, die 23. Martij, quamuis alij codices habeant, ad septimum Calendarum Aprilium id est, septimo Kalendas Apriles, nimirum die 26. Martij. Theophylus Cæsariensis in Palestina Episcopus inter prædicta opera Bedæ. Ipse quoque Beda in libro de sex Aetatib. Mundi, & in lib. de Ratione temporum cap. 65. Ado Viennen. in Breuiario chronicorum, Ætate 1. in principio. Anselmus lib. 2. de Imagine mundi ca. 17. vbi ait: Christum comedisse Pascha cum Iudæis 11. Kalendas Apriles. id est, die 22. Martij, & 10. Calend. Apriles mortuum fuisse, hoc est, die 23. Martij, & 18. Cal. Apriles resurrexisse, videlicet, die 25. Martij: & probatibi, DOMINVM non fuisse passum 8. Calen. Apriles, qua die, inquit, 25. Martij erat tunc Æquinoctium secundum Auctores, qui dicunt mortuum esse 8. Calend. April. & passum est Dominus Luna 14. ergo ante Æquinoctium Pascha comedit, quod dicendum non est. Cæterum iuxta sententiā secundam recentiorum, constat Christum Dominum mortuum esse die tertia Aprilis, & resurrexisse 5. die Aprilis. Sic Abulensis in defensorio par. 2. cap. 13. & cap. 16. Ioannes Lucidus in Opusculo de vero die passionis Dominice cap. 9. & 12. hoc probant, quia eo anno, quo passus est Christus Luna decima quinta primi mensis post Æquinoctium, in qua extinctus est Christus, incidit in sextam feriam, hoc est, in diem Veneris, vt constat ex Astronomicis supputationibus, & tamen eodem anno Luna decima quinta non potuit incidere in diem 25. aut 26. aut 23. Martij, & simul in diem Veneris, vt patet ex eisdem Astronomicis supputationibus.

Non videtur reijcienda sententia veterum Patrum: Difficile profecto est certo, & euidenter colligere, quæ sit in hac parte vera sententia: cum hinc Astronomicæ supputationes indicent, interemptum fuisse Dominum nostrum die 3. Aprilis; illinc vero omnes veteres communiter crediderint mortuum esse die 26. vel 25. vel 23. Martij. Quorum sententia tunc certior erit, eum ostensum ab aliquo fuerit, in Astronomicis supputationibus fortassis errorem contigisse culpa, vel negligentia eorum, qui eas collegerunt. Ego cum omnibus antiquis Patribus dicendum existimo, Christum Dominum extinctum fuisse die 25. vel 23. Martij: Quidquid sit, certum est, Dominum mortem sustinisse die Veneris: Nam Matth. 27. dicitur, eum cruci affixum esse, & sepultum in die Parasceus, & Marcus cap. 15. ait: *Quod est ante sabbatum, & Lucas cap. 23. erat, inquit, Parasceus & sabbatum illucescebat, & Ioannes cap. 19. scribit, depositum esse de Cruce Dominum, ne in Cruce sabbato maneret, & Ecclesia qualiter cuiusque hebdomadæ sexta Feria ieiunium semiplenum colit, ob passionis dominicæ memoriā.*

Verum vero sexta illa feria fuerit dies 25. an vero 23.

Martij variant veteres Patres. Sed secundum tabulas & supputationes Astronomicas, nec hæc, nec illa esse potuit: fuit enim tertia die Aprilis. Siue hoc autem, siue illud dixerimus, sciendum est, Christum secundum legem Pascha comedisse, non ante Equinoctium, sed Luna decima quarta, quæ incidit vel in Equinoctium, vel proxime, vel aliquot diebus post ipsum: itaque si mortuus est die vigesima quint. Martij, videlicet 8. Calen. Aprilis, cum Diespulis cœnauit die 24. Martij, in qua vel erat Equinoctium, vel proxime diem illam præcellerat, ita ut fuerit Equinoctium die 23. Martij. Si vero passus est decimo Calen. Aprilis, hoc est, die 23. Martij, cœnauit undecimo Cal. Aprilis, id est, die 22. Martij in quam vel iniecerat Equinoctium, vel in diem vigesimam primam incurrerat. At si in cruce obiit tertia die Aprilis, Equinoctium aliquod ante diebus existerat.

### CAP. VII.

De eadem re alia questiones diluuntur.

Primo quaeritur, Quota hora Dominicæ diei CHRIS-  
TUS Dominus resurrexit? Duæ sunt opiniones: Prima dicit resurrexisse media nocte in Dominica die, hoc est, scilicet post sextam horam noctis. Sic Euthymius in *Matth. vigesimo octavo illis verbis. Et ecce terra motus factus est magnus.* & ait sensisse omnes Patres, & doctores, videlicet Græcos Sic Nicephor. *lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. 31.* Sic etiam inter Latinos Rupert. *in libr. primo de diu. offic. cap. 8. libr. quint. cap. 24. libr. 7. cap. 16. Et libr. secund. super Exod. cap. 17. Et lib. 11. in Jo. c. 13. illis verbis. Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, &c.* Huius sententiæ videretur esse Athanasius in *libr. de exortatione, prope finem*, ita dicens: *Media nocte surgit, & laudato Dominum Deum tuum, in hac enim hora surrexit Dominus noster à mortuis.* Nyssenus in oratio prima & secunda de resurrectione. Dominus Cyrillus *lib. 12. in Ioan. cap. 44.* Victor Antiochen *in Marc. 16.* Hieronymus *Epistol. 150. ad Heliobian. q. 4.* Ambrosius *in Lucam cap. 24. explicans illa verba: Vna autem sabbati valde diluculo.* Et probat, quia veritas figuræ debuit referre. Nam ludic. 16. *Samson media nocte absulit portas orbis, & in verticem montis ascendit.*

Secunda opinio affirmat, Dominum resurrexisse mane diluculo in ipsa aurora. Sic Augustinus *lib. 4. de Trinit. cap. 6. Et in Dialogo ad Orosium quæst. 26.* Glossa ord. 1. *Machabæ. 3. illis verbis: Et elegit Lyfias Ptolomæum.* Hanc sententiam secuti sunt Scholastici Theologi Alexand. 3. p. q. 20. m. 3. artic. 3. Sanct. Thomas 3. part. quæst. 51. art. quart. quæst. 51. artic. quart. Et quæst. 53. artic. 2. ad tertium. Bonauentura 3. dist. 12. artic. prim. quæst. 3. Richard. 3. distinct. 22. artic. 3. quæst. 2. ad 2. Durand. dist. 22. q. 5. ad 3. Anton. 1. Par. Chronic. tit. 5. c. 7. Durand. in Ration. Divino. officio lib. 6. cap. 27. Gabriel. sermon. in die Pasche. quæstion. secund. Turrecrem. super Evangelia in die Pasche quæst. 1. Covarruias. libr. quart. varia. quæstio. cap. 19. numer. 9. Hæc opinio maxime congruit cum eo, quod legitur apud Marcum cap. 16. *Surgens autem in Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene.* Quamquam Hieronymus, Theophylactus, Euthymius & alij Græci contendunt, textum esse distinguendum sic: *Surgens autem Iesus, ut hoc loco pœnatur comma: deinde sequatur, mane prima sabbati apparuit Mariæ Magdalene, & verbum, surgens, non coniugatur, cum mane, sed potius, mane connectatur cum verbo apparuit.* Hanc demum sententiam magis consentaneam Ecclesiæ esse sensui monstrat Francolinus. *Tract. de Temp. Horar. Canon. cap. 46. n. 9. Et sequentibus, certe hæc sententia est probabilior: saltem communi consensu recepta.*

Secundo quaeritur, Quot horæ fluxerunt à morte Christi Domini vsque ad resurrectionem eius. Duæ sunt opiniones. Vna docet Christum Dominum septuaginta

duabus horis in sepulchro iacuisse, non quidem ipsa, sed partim affectu, & voluntate Iudæorum, partim re ipsa, partim opinione discipulorum. Sic Albinus in *Libr. de Diu. offic. ca. de Cæna Dominica. Amalari. lib. de ordine Antiph. c. 44. Beleth. libr. de Diu. offic. c. 101. Durand. in Rationa. libr. 6. c. 72. nu. 16.* Id probant, quia *Matth. 12. prædixit Christus se futurum in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus: at septuaginta duæ horæ efficiunt integros tres dies, & tres noctes, numerant ergo isti tempus mortis & sepulture Christi ab ea hora, in qua Iudæi Christum apprehenderunt, tunc enim primum illi eum voluntate, & animo occiderunt; & protendunt id temporis vsque ad vesperam diei Dominicæ, in qua discipuli gaufi sunt viso Domino: nam vsque ad eam horam opinione ipsorum discipulorum nondum resurrexerat à mortuis.*

Secunda sententia affirmat, quadraginta horas fluxisse à morte Domini vsque ad resurrectionem eius. Augustinus *lib. 4. de Trinitat. c. 8. ubi ait: Ab hora mortis Christi, vsque ad diluculum eius resurrectionis hora sunt quadraginta, ut etiam ipsa hora nona, in qua mortuus est, coniungatur.* *A vespera autem sepulture vsque ad diluculum triginta sex hora sunt, scilicet nox cum die toto, & nocte tota.* Idem docet in *Dialogo ad Orosium q. 26.* sic etiam glossa ord. n. 1. *Machab. 3. 101. Et elegit Lyfias Ptolomæum.* Hanc sententiam sequuntur Scholastici Theologi, Alexander, Bonauentura, S. Thomas, Ricardus, Durandus, & alij, quos superiori quæstione citauimus: autem Christum in sepulchro iacuisse per vnum diem integrum, & duas noctes, quæ efficiunt sex & triginta horas. Et quia Christus mortuus est hora nona, ideo à morte eius computant quadraginta horas, triginta sex sepulture tribuunt, & quatuor, videlicet nonam ipsam, in qua spiritum emisit, decimam, undecimam, duodecimam ad occasum solis tribuunt morti, & quoniam Dominus resurrexit in die Dominicæ, scilicet vltima hora noctis ante solis ortum, ideo numerant quadraginta horas mortis. Hæc sententia mihi valde probatur, & conuenit cum ea consuetudine quæ est recepta, qua oramus quadraginta horas, quæ referunt nobis quadraginta horas mortis Dominicæ: Item Christus surgens à mortuis per quadraginta dies, dicitur in caelos ascendit, cum discipulis commoratus est, toto eo tempore sæpius apprensus eis, & eos exhilarans; & per quadraginta dies lætitia & gaudio eos perfundens; quos per quadraginta horas per suam mortem tristitia, & dolore compleuerat.

Tertio quaeritur, Quomodo intelligatur, Christum Dominum triduo fuisse in sepulchro: Hæc quæstio per se quæstio semper est visa difficilis, mihi non item. In primis Christus se futurum prædixerat in corde, hoc est, in medio terræ tribus diebus, & tribus noctibus. *Matth. 12. & Marc. 8. Matth. 16. & Luc. 9.* Quia oporteret eum multa pati, & occidi, & die tertia resurgere. Idem *Matth. 20. Mar. 10. & Luc. 18.* De hac quæstione August. *lib. 4. de Trinit. cap. 6. & lib. 3. de Doctri. Christi. cap. 35. Epistol. 49. ad Deo gratias presbyterum quæst. vlt. Et l. Quæstionum Euangel. ca. 7.* Hieronymus in *Ioan. 2. Et Matth. 12. & Callianus lib. de incarnat. 6. cap. vlt. Beda in homil. feria quarta post primam Dominicam Quadragesima, Amalarius, lib. 1. de Diu. Off. c. 12. Durandus libr. 6. Rationa. lib. c. 72. Alexander, S. Thomas, Bonauentura, Ricardus, Durandus locis supra citatis. Augustinus ita que, quem sequuntur Scholastici Theologi, ait: *Triduum illud Dominicæ sepulture, sumendum esse per synecdochem quia pars accipi solet pro toto: ita ut Christus in sepulchro fuerit tribus diebus, & tribus noctibus. hoc est, tribus diebus naturalibus, qui constant diurnis & nocturnis horis 24. sensus itaque est: fuit Christus in sepulchro per tres dies naturales ex parte non ex toto sumptos: ita ut sexta feria cum nocte præcedentis vna dies: & quia ea die ex parte fuit in sepulchro, verum est fuisse in sepulchro per sextam feriam naturalem diem constantem viginti quatuor horis diurnis & nocturnis. Item fuit in sepulchro per totum sabbatum cum nocte præcedenti, & ita per totum illum diem naturalem absque synecdoche. Insuper nox præcedens Domi-**

nicam

niam diem, in qua resurrexit Dominus cum ipsa die, est tertius dies naturalis viginti quatuor horarum: ac ita fuit in sepulchro per unum diem civilem, & duas noctes integras: sed per tres dies naturales non extoto, sed ex parte per synechocchen acceptas. Hæc est vera sententia Augustini, Hieronymi, & communi consensu Theologorum comprobata. Nec est quod Francolinus *Traictat. de horis Canon. cap. 48.* & quidam alii iuniores hanc opinionem oppugnent, eo quod dixerit Christum distincte & separatim futurum se esse in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus: hæc enim phrasia est Hebræa; per diem ac noctem idem significans quod per diem naturalem viginti quatuor horarum. Dices; Dominus ergo fuit in sepulchro per tres dies naturales, ac proinde per septuaginta duas horas, quod est falsum. Nego quod inferis: nam fuit per tres dies naturales, ex parte, non ex toto sumptos, & ita fuit per quadraginta horas, aut saltem triginta sex, quæ participant tres dies naturales.

Quidam contendunt, fuisse per tres dies, & tres noctes civiles, hoc est, per septuaginta duas horas, quia numerant à nocte, in qua Iudæi Christum apprehenderunt, & protendant usque ad vesperam diei Dominicæ, in qua discipuli gauisi sunt viso Domino, & ita Christum in sepulchro tres dies integros, & tres noctes fuisse partim affectu & voluntate Iudæorum, partim ipsa, partim falsa opinione discipulorum. Sed violenta, & dura est interpretatio. Alii aiunt sabbatum, quia in illud incidit dies festus Iudæorum, pro duobus diebus computari solitum; sicut apud nos in anno bissextili unus dies bis numeratur. Et ita fuit Christus in sepulchro duobus diebus integris & noctibus per sabbatum, ac proinde per quadraginta octo horas: & fuit per feriam sextam duodecim horis, & aliis duodecim per noctem diei Dominicæ. Violenta quoque est expositio. Alii dicunt fuisse in sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus ex parte, quia à sexta usque ad nonam, quando fuerunt tenebræ, fuit vna nox; inde, quando rediit lux, fuit dies: per sabbatum fuit altera dies, & altera nox præcedens, sabbatho transacto successit nox, & diluculum diei Dominicæ. Neque hæc mihi placet interpretatio.

Quarto quaeritur, An festus dies Paschæ sit vnus tantum, an plures? Respondetur: In *pronunciandum, de Consec. dist. 3.* ex Concilio Lugdunensi numerantur dies festi, qui singulis annis coluntur ac celebrantur: & dicitur, sanctum Pascha cum tota hebdomada, id est, cum septem diebus sequentibus, & in *consequens de feriis*, cum iisdem festi dies, qui de more quorundam obseruantur, referantur, ex Gregorio IX. dicitur: *Dies resurrectionis cum septem sequentibus*, & *C. de feriis. l. ut in die, §. l. omnes dies*, præcipitur, ut sanctus dies Paschæ, vna cum septem diebus proxime præcedentibus, & septem aliis proxime quoque sequentibus liber ab omni strepitu iudiciali obseruetur, & si quid contra fiat, omnibus modis irritum habeatur. Hæc, ex parte retinentur, ex parte vero in defectum abierunt. Quod enim pertinet ad vacationem operum, quæ seruiha dicuntur, dies Paschæ, & duo dies proxime sequentes, tanquam festi coluntur: quod vero spectat ad cessationem, & vacationem civilium negotiorum, ac forensium causarum, dies septem præcedentes, & septem quoque proxime sequentes sanctum Pascha, obseruantur, prout leges, & iura voluerunt.

Quinto quaeritur, Quoto ætatis suæ anno Christus Dominus passus fuerit? Terte Augustino *lib. 2. de Doctrina Christiana. cap. 28.* quorundam sententia fuit, cum vixisset annis 46. & anno 46. ætatis suæ mortuum fuisse. Irenæus *lib. 2. c. 4.* ait: *Ipsi qui disputabant cum Domino Iudæi apertissime hoc significauerunt. Quando enim eis dicit Dominus Abraham pater vester exultauit ut videret diem meum: responderunt ei: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Hoc consequenter dicitur ei, qui iam quadraginta annos excessit, quin-*

IOAN. 8.

quagesimum autem annum nondum attingit: non tamen multum ab anno quinquagesimo abstitit: ei autem qui sit triginta annorum dicitur vsque, quadraginta annos nondum habes: non vsique multum extenderent annos ultra ætatem, quam eum habere conspicerent. Non ergo multum aberat à quinquaginta annis, & ideo dicebant ei: quinquaginta annorum nondum es, & Abraham vidisti? Et *cap. 39.* dicit: Christus magistri quoque habebat ætatem: ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, sanctificans infantem: iuuenibus iuuenis, iuuenes sanctificans. Sic senior in senioribus, ut esset perfectus magister in omnibus, non solum secundum expositionem veritatis, sed secundum ætatem sanctificans simul; & senioris exemplum ipse quoque factus. Aliqui autem, ut signum suum de eo quod scriptum est, vocare annum Domini acceptum, affirmant, dicunt anno vno eum prædicasse, & duodecimo mense passum. Contra semetipsos oblit sunt, soluentes omne aëre negotium, ut magis necessarium & honorabilem ætatem eius auferentes, illam, in quam prouoluerent, in qua docens præerat omnibus. Triginta enim annorum ætas prima indolis est iuuenis, & extenditur vsque ad quadagesimum annum, ut omnes consentiant. A quadagesimo, aut quinquagesimo anno declinat iam in seniore ætatem, quam habens Dominus docebat, sicut Euangelium, & omnes seniores testantur, qui in Asia apud Ioannem discipulum Domini conuenerunt, id ipsum tradidisse eis Ioannem. Permansit autem cum eis usque ad Triam tempora. Quidam autem eorum non solum Ioannem, sed & alios Apostolos viderunt, & hæc eadem ab ipsis audierunt de huiusmodi relatione. Ita Irenæus. Sed hæc sententia communi omnium consensu reicitur.

Fuit secunda sententia afferentium, mortuum esse Christum Dominum anno ætatis trigésimo exacto, incepto vero anno trigésimo primo. Vnde Eusebius in Chronico ait: *Arbitrantur quidam, eum, postquam baptizatus est in trigésimo anno, per tres menses, & dies decem prædicasse, quousque imminente die Paschæ, in die Ioue cena celebrata, in die Venere crucifixus est, & dicitur triginta annorum esse, cum pateretur, vel aliquid amplius: nam ad trigésimum primum non peruenit.* In hac sententia fuit Africanus *lib. 5. Temporum*, ut refert Hieronymus *Dan. 2.* Sic etiam sentit Tertullianus *lib. aduersus Iudæos, cap. 8.* vbi sic ait: *Post Augustum, qui superuixit post natiuitatem Christi, anni quindécim effluunt. Cui successit Tiberius Cæsar, & Imperium habuit annis 22. mensibus 7. diebus 28. huius decimo quinto anno Imperii passus est Christus annos habens quasi triginta, cum pateretur.* Laetantius quoque *lib. 4. cap. 10.* ad finem dicit: *Herodes, qui fuit sub Imperio Tiberii Cæsaris, cuius anno decimo quinto, id est, duobus Geminis Consulibus videlicet, Rebello Gemino, & Basso Gemino ante diem septimum Calendarum Aprilium Iudæi Christum cruci affixerunt.* Ita etiam Clemens *libro 1. Stromatum versus finem.*

Hæc sententia vnus tantummodo annum tribuit prædicationi Christi, & ideo communi omnium consensu refellitur. Nam ut quæstione proxime sequenti dicitur, Christus Dominus per tres annos, & aliquot menses prædicauit. Cum autem statim à Baptismo cæperit docere & prædicare, incipit quadraginta dierum, noctiumque peracto, nullo modo potuit mors eius contingere post triginta annos, & aliquot solum menses.

Dux supersunt probabiles sententiæ: vna est dicentium, passum fuisse Dominum nostrum exacto trigésimo tertio anno, & currete per aliquot menses anno trigésimo quarto. Hanc sententiam sequuntur plerique iuniores conuicti auctoritate Bedæ in *libello de ratione computi cap. 17.* & *lib. de ratione temporum. cap. 45.* vbi sic ait: *Habet in fallor, Ecclesia fides, in carne plusquam triginta, & tres annos vsque ad sua tempora passionis vixisse: quia videlicet cum triginta annorum fuisset, baptizatus est, sicut Euangelista Lucas testatur, & tres semis annos prædicauit, sicut Ioannes in Euangelio suo non solum commemorato redeuntis Pascha tempore perdoct, sed & idem in Apocalypsi sua Daniel quoque in suis visionibus propheticè designat.*

LUC. 3.

Et paulo inferius: *Hic, inquit, adde triginta tres, vel posita triginta quatuor, ut illam ipsam quo passus est Dominus, attingere possis annum.* Hæc ille. Marianus quoque Scetus in *Chronico* ponit Christum passum anno ætatis suæ trigésimo quarto. Quidam huius opinionis auctores probant Christum **DOMINVM** mortem subisse anno ætatis trigésimo quarto currente, quia anno, inquit, trigésimo baptizatus est sexta die Ianuarii, & anno trigésimo primo ineunte eadem sexta die Ianuarii fecit primum miraculum in Cana Galilææ, cum aquam in vinum conuertit in nuptiis: quoniam habet Ecclesiæ traditio, hæc duo in eadem die fuisse facta, ergo eodem anno contingere non poterunt. Cum igitur fuerit baptizatus anno trigésimo: consequens est, ut anno trigésimo primo huiusmodi miraculum fecerit. Et cum per tres annos, & aliquot menses prædicauerit; sequitur, ut currente anno trigésimo quarto passus fuerit. Sed certe difficile est creditu, toto anno trigésimo post baptismum susceptum, & ieiunium peractum non prædicasse. Deinde, ex verbis beati Petri Apostoli colligi videtur prædicationem Christi coepisse à Baptismo Ioannis. Oportet enim, ait ille, ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiit inter nos Dominus Iesus incipiens à Baptismo Ioannis, vsque in diem qua assumptus est à nobis, & reliqua. Cum item baptizaretur Christus, facta est ad eum vox Patris. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, quasi tunc primum doctrinam, & prædicationem Euangelicam foret inchoaturus. Accedit quod veteres Patres communiter dicunt, à baptismo in Iordane Christi prædicationem coepisse.

Ioan. 2.

Act. 1.

Mat. 3.

Alii vero huius sententiæ Auctores dicunt, anno trigésimo primo inchoato, Christum Dominum esse baptizatum, & post ieiunium quadraginta dierum prædicare coepisse. Et quia tribus annis, & aliquot mensibus docuit, sequitur ut mortuus fuerit anno trigésimo quarto currente. Difficile etiam est intellectu, Christum esse baptizatum à Ioanne anno trigésimo primo ineunte; cum dicat Lucas: *ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.*

Luc. 3.

Altera sententia est asserentium, Christum crucis mortem sustinuisse anno suæ ætatis trigésimo tertio currente, ita ut fuerit baptizatus anno trigésimo, & eodem anno prædicare, & discipulos congregare coepit: ac proinde per tres annos, & aliquot menses prædicauerit vsque ad vltimum Pascha anni trigésimi tertii, in quo occisus est. Sic Abulensis, & Ioannes Lucidus, & alii iuniores. Hæc sententia est valde probabilis, & meo iudicio probabilior quam altera modo recitata, & videtur communi consensu recentiorum approbata. Auctores harum duarum opinionum, ex historica narratione Romanorum Imperatorum, suam sententiam confirmare contendunt: Auctores quidem primæ opinionis, quia Christus natus esse perhibetur sub Augusto Cæsare anno quadragésimo secundo, cuius Imperium durauit vsque ad annum quinquagesimum septimum. Ergo cum Christus fuerit baptizatus, teste Luca, anno decimo quinto Tiberii Cæsaris, qui successit Augusto, sequitur, ut cum mortuus est Augustus, Christus Dominus decimum sextum ætatis annum egerit, ac proinde baptizatus fuerit anno trigésimo primo. Contra vero, secundæ opinionis Auctores ex eadem Imperatorum historia colligunt, Dominum fuisse passum incunte anno trigésimo tertio: quia moriente Augusto, tunc Christus annum agebat ætatis suæ decimum quintum, & anno decimo quinto Imperii Tiberii Cæsaris baptizatus est, ergo tunc trigésimum annum ætatis attigerat, & mortuus & anno Imperii Tiberii Cæsaris decimo octauo: qui omnes anni conficiunt numerum triginta trium, & non triginta quatuor.

Sed certe argumentum ex historica Romanorum Im-

peratorum narratione sumptum, non est admodum certum & firmum: quia huiusmodi anni Imperatorum computari queunt dupliciter, vel enim sumuntur anni completi, & perfecti, inchoati, vel incepti: & pro ut expleti, vel inchoati computantur, numerum triginta trium, aut triginta quatuor annorum conficiunt. Si enim annum quadragésimum secundum Augusti Cæsaris numeres tanquam annum primum Christi Domini, & annum quinquagesimum septimum eiusdem Cæsaris, tanquam annum decimum sextum Christi, sequitur, ut mortuus fuerit Christus Dominus anno ætatis suæ trigésimo quarto. At si incipias numerare annos Christi ab anno quadragésimo Augusti inchoato, aut si numeres eiusdem Cæsaris annum quinquagesimum septimum, tanquam vnum annum simul cum anno decimo quinto Tiberii Cæsaris, efficies numerum annorum Christi triginta tantum. Rursus hæc duæ opiniones facile conciliari queunt, quia ut dicit Marianus Scotus in *Chronico*: Annus potest computari dupliciter: Aut quatenus est solaris, & tunc incipit à Ianuario, & definit in Decembrem sequentem: Aut quatenus est duodecim mensium, vnde unque incipit, & vbi unque finiatur: si quis accipiat annum, ut est solaris, tunc primus annus Christi currit per septem dies Decembris, & per septem dies vsque ad exitum illius mensis fuit vñs annus Christi, videlicet solaris, & Ianuario statim sequenti coepit numerari secundus annus Christi solaris. Hanc computationem sequuntur ii, qui putant Christum mortuum esse anno suæ ætatis trigésimo quarto currente. At si annus numeretur, ut est duodecim mensium, primus annus Christi fuit à die vigesima quinta Decembris vsque ad diem vigesimam quintam Decembris sequentis. Et iuxta hanc computandi rationem Christus mortem passus est anno ætatis trigésimo tertio nondum completo. Quidquid sit de annis Imperatorum, longe vero similis est, Christum mortuum esse anno ætatis suæ trigésimo tertio currente. Quia Luna quintadecima non potuit villo modo cadere in sextam feriam in anno Christi trigésimo quarto, sed solum in anno trigésimo tertio currente, ut ex supputationibus Hebraicis, tabulis Astronomicis, & Cyclo solari omnes variationes viginti octo annorum circuitu complectente, & Cyclo Lunari decem nouennali apertissime colligitur.

Nam retrocedendo à præsentis anno 1601. ad annum Passionis Christi, si recte supputauerimus, inueniemus anno trigésimo tertio Christi, fuisse litteram Dominicalem D. sicut anno trigésimo quarto sequenti C. littera Dominicali existente, D. tunc B. erat dies Venetis, siue feria sexta, & in anno Christi 33. fuit vera luminarium Solis & Lunæ coniunctio in primo mense, hoc est Martio die 19. hora 2. feria quinta, & die 3. Aprilis fuit vera oppositio luminarium Solis & Lunæ feria sexta, & hora sexta: oportet autem, ut in morte Christi concurrerint feria sexta, & vera oppositio luminarium Solis & Lunæ. Is annus erat Urbis conditæ 786. Olympiadis 202. annus 4. & in eo anno Consul es erant, Cn. Domitius Aferobarbus & A. Vitellius Nepos, & annus Imperii Tiberii Cæsaris 18. Hæc colliguntur ex Phegonte primo Olympiadum supputatore, & ex Eusebio in *Chronico*.

Sexto queritur, Quot annis Christus Euangelium suum in carne docuerit? Vna sententia est, quam habet Clemens Alex. lib. 3. *stromatum prope finem*: vnum tantummodo annum Christum prædicasse conuenienter vaticinato Isaiæ Spiritus Domini super me, eo quod vnus me Dominus: & paulo inferius: *ut prædicarem annum placabilem Domini.*

Hæc sententia, ut Irenæus lib. 5. cap. 39. & Epiphanius *Hæresi* 51. ostendunt, videtur cum Ioannis Euangelio pug-

gnare

Isai 61.

gnare. Nam capite 2. statim post miraculum factum in nuptiis, meminit vnus Paschatis, quod Christus Hierosolymis celebrauit: deinde capite sexto aliud Pascha commemorat, quod proculdubio est à superiori distinctum, vt constat ex narratione rerum, quæ in illis capitibus referuntur: ac proinde inter illa duo Paschata, vt minimum vnus annus intercessit. Rursus cap. 11. & 13. facit mentionem Ioannes alterius Paschatis, in quo Christus peremptus est: quod à reliquis distinctum & diuersum esse fatendum est, vt ex eadem Ioannis narratione colligitur: ergo prædicatio Christi vt minimum, per duos annos durauit: quia tria Paschata nequeunt minori tempore concludi, siue initium prædicationis à baptismo Ioannis, siue à miraculo in nuptiis factum sumatur.

Communis Patrum sententia est, Christum Dominum prædicasse per tres annos, & aliquot menses. Ita sanctus Ignatius epist. 5. ad Trallianos, Eusebius lib. 8. de Demonstratione. Euan. cap. 2. circa finem, & lib. 1. Historia Eccles. cap. 10. Hieronymus Dan. 9. Theodoretus ibidem, Nicephorus lib. 2. cap. 27. & 29. Haymo. Apocalyp. 12. Epiphanius in Hæresi 51. quam supra memorauimus, verba hæc sunt: Prædicante ipso annum Domini acceptum, iuxta ea, quæ in Isaiâ Propheeta prædicta sunt, nempe. Spiritus Domini super me, cuius gratia unxit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me, vt prædicem captiuis remissionem, & cæcis visum, vt prædicem annum Domini acceptum. & diem retributionis. Reuertam enim prædicare annum Domini acceptum, hoc est, cui non contradicatur. Primum enim annum post trigefimum annum aduentus sui carnalis prædicauit, & omnes ipsum suscipiebant, & neque Iudæi contradicant, neque Gentes, neque Samaritæ, sed omnes libenter ipsum audiebant. In quo anno ascendit Hierosolymam, postquam baptizatus fuit, & quadraginta dies tentationes peregit, & discipulos suos elegit, ita vt reflexerit à tentatione ad Iordanem, & penetrarit ad mare Tiberiadis, & hinc transierit Nazareth, vnde videlicet ascendit Hierosolymam, & in medio festiuitatis clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et sic abiit Nazareth, & in Samariam, & in partes Tyri, & completo primo anno, rursus ascendit Hierosolymam: & deinceps quæsiuit ipsum apprehendere in festiuitate, & inuenerunt. & paulo inferius: Post hæc, inquit, completo biennii tempore deinceps trigefimo tertio anno sua dispensationis in carne, postquam transgressus esset duos Consulatus duorum Geminorum, Russi, & Rebellionis, deinceps in tertio Consulatu, in tertio ipsius mense post Ianuariam & Februariam in mense Martio perfecit mysterium Passionis. Sic Epiphanius. Beda cap. 45. de ratione temporum aperite dicit, Christum prædicasse per tres annos & semis: quod ait colligi ex Euangelio Ioannis, & ex Apocalypsi, & Daniele Propheeta. Hoc idem dicit Beda, quia est veterum Patrum traditio, totidem annis & mensibus Antichristum persecuturum Ecclesiam. Nam Daniel 12. dicitur: In tempus, & tempora, & dimidium temporis in tempus, videlicet in annum, & tempora, hoc est, duos annos. Et dimidium temporis, hoc est, dimidium anni: & Apocalyp. 12. de Dracone loquens, id est, Diabolo, ait Ioannes: Persecutus est mulierem quæ peperit mascululum. Et data sunt mulieri ala dua aquila magna, vt volaret in desertum in locum suum: vbi alitur tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis. Et in eodem capite ante dixerat: Et mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascat eam diebus mille ducentis sexaginta: huiusmodi autem numerus continet tres annos cum dimidio.

Cæterum, quanquam communiter Patres prædicationis Christi tribuant tres annos, & aliquot menses: dubitati tamen potest, vnde nam incipiant numerari tres illi anni cum dimidio. Iuniores quidam computant eiuſdem annos à miraculo Domini in nuptiis facto, & addunt, illud miraculum factum esse à Christo suæ ætatis anno trigefimo primo: & proinde colligunt Christum fuisse passum currente anno trigefimo quarto. At enim difficile est creditu, vt supra iam dixi, vno integro anno qui intercessit secundum horum Aucto-

rum sententiam, inter baptismum, & primum miraculum in Cana Galilææ factum, Christum non prædicasse.

Communis videtur esse sententia, annos Dominicæ prædicationis, esse numerandos à Baptismo: id enim colligitur ex Irenæo lib. 2. cap. 39. & ex Epiphanius Hæresi 51. Beda cap. 45. de ratione temporum: idque videtur significasse Petrus Act. 1. vt superius dixi. Deinde Ioannes cap. 1. describit vocationem quorundam discipulorum factam à Christo, statimque cap. 2. narrat miraculum factum in nuptiis.

Dicendum videtur, Christum prædicare cœpisse statim post Baptismum susceptum à Ioanne Baptista, & ieiunium quadraginta dierum peractum. Et cum hæc duo, baptismus, & ieiunium contingerint, vt inferius dicam anno trigefimo ætatis Christi incunte, & Christus mortuus fuerit, vt dixi superiori quæstione, anno suæ ætatis trigefimo tertio currente: sequitur, vt prædicatio Christi contineat annum trigefimum, & trigefimum primum, & trigefimum secundum, videlicet tres annos, & aliquot præterea menses anni trigefimim tertii, in quo passus est.

Alii iuniores censent, prædicationem Christi inchoatam quidem à baptismo fuisse, sed durasse, per tres annos, & aliquot menses: at dicunt, Christum baptizatum fuisse incunte anno trigefimo primo, & mortuum anno trigefimo quarto currente. Sed mihi probabilius videtur, quod iam dixi ex communi sententia.

Septimo quæritur, Quoties colligatur ex Euangelio Ioannis, Christum Dominum ascendisse Hierosolymam Paschali tempore secundum morem, & ritum Iudæorum, hoc est, quot Paschata intercesserint post baptismum Christi vsque ad necem eius. Vna est sententia quæ dicit, quater post baptismum in quatuor Paschis quatuor annorum ascendisse Hierosolymam, sed in ultimo Paschate mortuum fuisse. Sic Irenæus lib. 2. cap. 39. vbi ait: scriuari oportet in Euangelio, quoties secundum tempus Paschale Dominus post baptismum ascenderit Hierosolymam, secundum quod moris erat Iudæis ex omni regione omni anno conuenire Hierosolymam, & illic diem Pascha celebrare. Et primum quidem, vt fecit vinum ex aqua in Cana Galilæa, ascendit in diem festum Pascha, quoriam & scriptum est: Quia multi crediderunt in eum, videntes signa quæ faciebat: vt Ioannes discipulus Domini meminit. Deinde iterum subtrahens se, inueniunt in Samaria, quando & cum Samaritana disputat, & filium reguli absens verbo curauit, dicens: Vade filius tuus viuit: & post hæc iterum secunda vice ascendit in diem festum Pascha, Hierusalem, quando paralyticum, qui iuxta natatorium iacebat, triginta octo annis curauit, præcipiens vt surgeret, & auferret grabatum suum, & iret. Deinde secedens trans mare Tyberiadis, vbi & cum multa turba cum fuisset secuta, quinque panibus satiauit omnem illam multitudinem. & superauerunt duodecim cophini fragmentorum. Deinde cum Lazarum suscitasset ex mortuis, & insidias fierent, secedit in ciuitatem Ephrem, & inde ante sex dies Pascha veniens in Bethaniam scribitur, & Bethania ascendens Hierosolymam, & manducans Pascha, sequenti die passus est. Quod autem tria hæc Paschatis tempora non sint vnus annus, quilibet confitebitur: ipsum autem mensem, in quo Pascha celebratur, & in quo passus est Dominus, non duodecimum, sed primum esse constat, nempe Martium, à quo mense Hebræi annum suum exordiantur. Sic ille. Sed non exprimit, an primum Pascha fuerit in anno trigefimo Christi, an potius in anno trigefimo primo: nam si primum Pascha dicat fuisse in anno Christi trigefimo, sequitur vt in eodem anno baptizatus fuerit, ieiunium quadragenarium suscepit, & vinum ex aqua fecerit. Si vero dicat primum Pascha fuisse in anno trigefimo primo Christi, consequens est, vt secundum Irenæum Christus mortuus fuerit anno trigefimo quarto currente, & prædicatio Christi continuauerit quatuor annos, & aliquot menses: ita vt Christus toto trigefimo anno non prædicauerit.

Ioan. 2.

Infr. 4.

Ioan. 5.

Infr. 6.

Infr. 1.

Ibidem.

Matt.

26.

Apol.

Apollinaris Laodicenus, referente Hieronymo in caput Danielis novum: Trigesimo, inquit, iuxta Evangelistam Lucam, anno etatis sue cepit in carne Dominus Evangelium predicare, & iuxta Joannem Evangelistam, per tria Paschata duos postea implevit annos. Item Epiphanius, libr. I. Contra Hæres. cap. ultim. postquam dixit, natum fuisse Christum in oppido Bethleem, postea venisse Hierosolymam, deinde habitasse in civitate Nazareth, postea subiungit, Nascitur ergo in Bethleem Saluator trigesimo tertio anno Herodis, & quadragesimo secundo Augusti. Perrexit autem in Ægyptum trigesimo quinto anno Herodis, atque illinc revertitur post mortem Herodis. Et ideo trigesimo septimo anno Herodis quatuor anni pueri sunt, quandoquidem Herodes è vita discessit trigesimo septimo anno regni sui: Archelaus vero regnum paternum novem annis administravit. In exordio regni eius decessit Ioseph ex Ægypto cum puero, & matre eius. Et cum audisset Ioseph Archelaum patrum regnum administrare, secessit in Galilæam, & incoluit Nazareth. At Archelaus genuit Herodem iuniorem, qui successit ei regno, postquam Archelaus pater novem annis illud administravit. Hucusque supputantur tredecim anni à Christi natiuitate: deinde anno decimo octavo Herodis cognomento Agrippæ, aut iunioris, cepit Iesus predicare animum acceptibilem, & baptizatur à Ioanne, nec illo tempore ab ullo sine Iudæo sine Gentili, illius doctrinam resillitur. Sequenti anno prædicationis eius, multis iniquorum insidiis patitur. Hoc accidit anno decimo nono Herodis, & vigesimo secundo Saluatoris. Denique vigesimo anno Herodæ Tetrarchæ Dominus patitur. Idem quoque Epiphanius in Hæresi 51. de eadem re ita loquitur: Primum annum post trigesimum aduentus sui carnalis prædicavit, & omnes ipsum suscipiebant, & neque Iudæi contradicebant, neque Gentēs, neque Samaritæ, sed omnes libenter ipsum audiebant. In quo anno ascendit Hierosolymam, postquam baptizatus fuit, & quadragesima dies temptationes peregit, & discipulos suos elegit. Et paulo inferius: Completo primo anno rursus ascendit Hierosolymam in die festo. Rursus infra: Post hæc completo biennii tempore, trigesimum tertium annum sine dispensatione in carne, in mensis Martio perfecit mysterium Passionis. Hæc igitur sententia, tribuit prædicationi Christi tres annos & aliquot menses, & initium prædicationis ponit in anno trigesimo Christi, & deinde dat illi integros duos annos, scilicet annum 31. & 32. Christi, & mortem eius ponit in anno 33. corrente. Hinc factum est, ut inter recentiores scriptores sint duæ sententiæ. Vna computans quatuor Paschata præter vltimum Pascha, quo mortuus est Dominus. Vnum anni trigesimi primi, cuius mentionem facit Ioannes capite 2. post miraculum factum in nuptiis: tertium anni trigesimi secundi, cuius meminit Ioannes, capite quinto, quando paralyticum iuxta natatorium Siloe, triginta octo annis taecentem curauit: quartum quod commemorat Ioannes capite sexto, quando quinque panibus multitudinem hominum satiauit. Ac proinde hæc opinio censet passum esse Dominum anno trigesimo quarto ætatis suæ in Paschate.

Sed hæc sententia necesse est, ut tribuat prædicationi Christi quatuor annos, & quatuor menses, quod pugnat cum Patrum communi sententia: vel si tantum ponit tres annos, & aliquot menses in prædicatione Christi, opus est, ut fateatur vno integro anno, videlicet trigesimo, Christum non prædicasse, quod etiam aduersari videtur communi sententiæ Patrum dicentium, Christum prædicare cepisse anno, quo baptizatus est, & ieiunium quadraginta dierum noctiumque peregit.

Alter sententia iuniorum est, asserentium ex Evangelio Ioannis tria tantum Paschata colligi, quæ intercedunt post baptismum, vsque ad vltimum Pascha, quo passus est Dominus: vnum cuius Evangelista non meminerunt expresse; alterum, de quo Ioan. 2. tertium, de quo Ioan. 6. Hæc videtur esse communis opinio.

Tota difficultas huius rei in eo sita est, An dies festus, de quo Ioannes cap. 5. ait: Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam: fuerit dies festus Paschæ: Chrysostronus, Theophylactus, Euthymius, sanctus

Thomas, Lyranus, & alii sentiant, fuisse diem festum Pentecostes, non Paschatis. Sanctus Irenæus lib. 2. cap. 39. & Rupertus Tuitien. libr. 5. in Ioannem, sentiunt fuisse diem festum Paschatis: quod probant, quia in Euangelis, præsertim apud Ioannem, cum dicitur dies festus, intelligitur Pascha, ut Ioan. 4. cum venisset in Galilæam, exeperunt illum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo. At ipsi venerunt ad diem festum: & Matth. 26. dicitur: Non in die festo, & Luc. 2. Secundum consuetudinem diei festi. Accedit, quod ea omnia, quæ narratur à Ioanne à capite 2. vsque ad caput 5. non videntur fieri potuisse tam breui tempore, videlicet, quinquaginta dierum spatio, quod fuit inter Pascha, de quo Ioan. 2. & Pentecosten. Adde quod Ioannes cap. 3. postquam narravit sermonem Domini habitum cum Nicodemus, dicit venisse Christum cum discipulis in Galilæam, & ibi moratum esse, & baptizasse non per se quidem, sed per discipulos eius. In quibus verbis significari videtur illic habitasse per aliquot menses. Postremo Ioannes cap. 4. dicit redisse Christum à Iudæa in Galilæam per Samaritam, & post colloquium cum Samaritana discipulis dixisse: Nomen vos dicitis: Ad hæc quatuor menses sunt, & missi venis: ergo hyemale tempus erat, cum Christus per Samaritam transibat: ac proinde dies festus, cuius meminit statim Ioannes capite 5. videtur esse dies festus Paschatis anni proxime sequentis post Pascha, de quo Ioannes iam dixerat capite secundo.

Meo iudicio, probabilior est communis sententia diem festum, de quo Ioannes capite quinto scribit, fuisse Pentecosten, & in eundem annum incidisse, in quem incidit Pascha, de quo Ioannis 2. ita ut ante Pascha, in quo mortuus est Christus, duo Paschata habeamus expresse in Evangelio Ioannis; vnum de quo capite secundo, quod incidit in annum trigesimum primum Christi, quo tempore missus est ab Herode in carcerem Ioannes Baptista, ut habet communis opinio, alterum, de quo Ioan. 6. cum Christus quinque panibus hominum multitudinem satiauit: quo tempore amputatum est Ioanni caput, ita ut per integrum fere annum fuerit in carcere detentus, quod Pascha incurrit in annum Christi trigesimum secundum. Vnde Ioannes Baptista, iuxta communem sententiam occisus creditur vno anno ante Christi mortem. Hæc sententia, & fuit communi hæcenus Interpretum consensu recepta, & desumpta videtur ex Epiphanio & Apollinario Laodiceno locis supra citatis: & cum ea conueniant quatuor, quæ fuerunt hæcenus communis traditione approbata: vnum, videlicet, Christum passum fuisse anno suæ ætatis trigesimo tertio corrente: alterum, prædicasse Christum per tres annos, & aliquot menses: tertium prædicationem eius à baptismum cepisse, videlicet post quadragenarium ieiunium peractum; quartum, Christum baptizatum fuisse sexta die Ianuarii, cum iam esset ingressus annum trigesimum, & vertente anno eadem sexta die Ianuarii primum miraculum in nuptiis fecisse, cum iam annum trigesimum primum attingeret. Anno igitur trigesimo baptizatus, & ieiunio peracto tentatus à Diabolo, ex deserto ad Iordanem rediit: & à Ioanne est populo ostensus: & statim eo anno prædicare cepit: de quibus Ioan. 1. Paschatis anni huius milles meminit Evangelista: solus Ioannes primo capite narravit pauca quædam, quæ ibi scripsit, at cæteri tacerunt. Pascha igitur, de quo Ioan. 2. fuit in trigesimo primo anno post miraculum factum in nuptiis sexta die Ianuarii in eodem anno. Pascha, de quo Ioan. 6. incidit in trigesimum secundum Christi annum; Pascha vero, de quo Ioan. 11. & 13. & in quo Christus est in crucem actus, incurrit in ipsius Christi trigesimum tertium annum.

## CAP. VIII.

## De die festo Pentecostes.

PRIMUM quaeritur, An dies festus Pentecostes iure Diuino colatur, an tantum Canonico Respondeo: eius-

modi

modi festum diem olim apud Iudæos præcepto diuinæ legis obseruari solitum, vt constat *Leuit. 23.* celebratur autem ob memoriam legis diuinæ datæ: dicebatur ea solemnitas, celebritas Hebdomadarum; quia ab altero die Paschæ, hoc est, à Luna sextadecima primi mensis computabantur septem hebdomadæ plenæ, quæ continent quadraginta nouena dies, & quinquagesimus proxime sequens, erat festus, nam quinquagesimo die ab egressu Iudæorum ex Ægypto, data est lex. Quomodo vero illi dies supputentur in Scriptura Sacra, variè Interpretes explicauerunt: quia non ita perspicue dierum ille numerus in Scripturis habeatur. Nam *Exodi decimonono*, habemus, venisse Moysen vna cum toto populo in solitudinem Sinai mense tertio, ab exitu ex Ægypto: ac deinde tertia die ei datam esse diuinis legem.

Sed in dubium vocatur, quoto die mensis tertii in solitudinem peruenierint; & quomodo numerari debeant tres illi dies, de quibus *Exodi 19.* ita dicitur: *Esse e parati in diem tertium.* Augustinus in *libro questionum veteris & noui Testamenti, cap. 95.* vel qui eius libri fuit auctor, *libro 2. super Exodum, question. 79. & in epist. 119. de Ianuuario, cap. 16.* putat eos in desertum venisse prima die mensis tertii, & die tertia eiusdem mensis tertii datam esse legem: & eandem diem, fuisse quinquagesimam à die prima Paschæ. Cum Augustinus sentiat Glossa Ordina. *Exodi 19. in verbo. In mense tertio, & in verbo. In die hac, & in verbo Die autem tertio.* Beda *lib. 2. Quæ sententia aliis, nimirum Ruperto, Abulensi, Magistro historico scholasticæ minime probatur, quia dies festus Pentecostes non fuisse idem, qui dies festus hebdomadarum: nam hebdomadæ septem minime computabantur à die Paschæ: sed ab altero die proxime sequenti, vt patet *Leuit. 23.* Item, quia Augustinus ex primo mense numerat decem & septem dies, & ex secundo, triginta; & ex tertio, tres: vt colligat simul quinquaginta dies. At vero cum menses Iudæorum sint Lunares, non omnes constant ex triginta diebus, sed vnus ex triginta, alius ex viginti nouem. Ergo si Augustinus ex primo mense accipit septemdecim dies, non potuit ex secundo triginta sumere, sed tantum nouem & viginti, sive vndertriginta. Quod si ex secundo mense numerat triginta, ex primo debuit tantum colligere sexdecim.*

Rupertus super *Exodum lib. 3. cap. 13. & 41. & Leuit. 2. & Leuit. cap. 34. & lib. 10. de Diu. offic. cap. 12.* ait legem datam esse die tertio mensis; sed cum diem non esse quinquagesimum, vt Augustinus dicebat, sed quadragesimum nouum à die Paschæ: & propterea Pentecosten non coli ob memoriam datæ legis, sed foderis iniit inter Deum & populum quod factum est die quarto tertii mensis, vt dicitur *Exod. 24.* Idem videntur sentire Magister Historiæ scholasticæ super *Exod. ca. 38.* Abulen. *Exod. 19. Duran. in Rationali. lib. 6. c. 107. num. 9.*

Cæterum probabilius cæteri opinantur cum Hugone S. Victoris in *Annotation. in Exodum, & cum Lyrano, & Caietan. in Exod. cap. 19.* Moysen venisse in solitudinem montis Sinai die tertia mensis tertii, ac deinde die quarta dixisse: *Esse parati in diem tertium, & tandem die sexta datam esse legem.* Sic enim habet scriptura: *Mense tertio egressione filiorum Israel de Ægypto in die hac venerunt in solitudinem Sinai.* Vbi illud: *In die hac est Hebraïmus idem significans, ac, in die eadem, videlicet, tertia, vt totus sensus sit: venerunt mense tertio, die quoque eodem, nimirum tertio.* Sic *Psal. 141. In via hac qua ambulabam, & Leuit. 23. Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam Pasche Domini est, & quintadecima die mensis huiusmodi solemnitas azymorum, scilicet mensis eiusdem. Nehemia 9. In die autem vigesimo quarto mensis huius, id est, mensis eiusdem septimi. Quare cum ex primo numerentur quatuordecim dies, videlicet non à die Paschæ, sed ab altero die, & ex secundo mense numerentur triginta, & ex tertio sex, colliguntur omnes simul quinquaginta. Et dies festus Pentecostes est dies quoque festus septem hebdomadarum. Porro in Ecclesia Catholica celebritas Pentecostes*

colitur & seruatur iure communi; & necessitate præcepti, vt constat *c. Pronunciandum de consecration. dist. 3. & capite Conquestus de ferijs.*

Secundo queritur, Quomodo accipitur sabbatum *Leuit. 23.* cum dicitur: *Numerabis ergo ab altera die Sabbati, in quo obtulisti manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomada septima, id est, quinquaginta dies.* In quibus verbis est expressus dies Pentecostes, qui erat quinquagesimus ab altero die sabbati, in quo erat oblati manipulus primitiarum. Quidam sabbatum intelligunt diem primum festum azymorum, qui cadebat in Lunam quintam decimam primi mensis, & erat alter dies ab immolatione agni Paschalis. Et sensus est secundum eos: Numerabis ab altero die: videlicet altero ab immolatione agni legalis, qui est dies festus, & proinde dies Sabbati: vnde exponunt, ab altero die, qui est sabbatum, sic videtur interpretari Theodoret *quest. 32. in Leuit.* Alij Sabbatum accipiunt pro septimo die hebdomadæ incidenti in vnum diem septem dierum azymorum, ita vt sit sabbatum Paschale: & tunc secundum eos alter dies sabbati erat dies Dominica proxime occurrens post Sabbatum Paschale. Sic Rabanus *lib. 2. in Dent. cap. 11. Rupert. 3. in Exod. cap. 24. lib. 2. in Leuit. cap. 3. & lib. 10. de Diu. offic. cap. 12.* Auctor Historiæ Scholasticæ super *librum Numer. c. 43. & super Deuteronom. cap. 5. Duran. in Rationali lib. 6. cap. 107.* Alij nescio qui, dicunt totam hebdomadam Paschæ sumi pro sabbato, vt sensus sit: *Altero die Sabbati, id est, primo post hebdomadam Paschalem.* Hæc interpretationes mihi non placent, quia vim scripturæ videntur asserere.

Mihi valde probatur quod alij dicunt, alterum diem sabbati vocari hoc in loco diem proxime sequentem post decimam quintam Lunam, in qua erat dies primus festus azymorum, ita vt sabbatum sumatur pro ipso die primo azymorum, & sensus sit: & altero die post sabbatum; id est, post primum festum azymorum, hoc est, Luna decima sexta, quæ sequitur proximum post primum festum dierum azymorum. Sic Iosephus *lib. 3. Antiq. c. 13. Epiph. Hæres. 51.* vbi ait: *Nam postquam mactatum esset Pascha intra tres dies, hoc est, post tres dies agni, præcepit manipulum spicarum inferri, vt significaret sanctum manipulum, qui resurrexit ex mortuis, post tertiam diem terrarum profertur.* Sic etiam Lyranus, Abulen. in 2. par. *Defensori 63. Caietan. in Leuit. c. 23.*

Tertio queritur, An dies festus Pentecostes eo anno quo mortuus est Christus, ceciderit in sabbatum, an in diem Dominicam? Hanc questionem attingit Alitio *lib. 4. tractat. 5. question. 7. Mai. 4. d. 13. quest. 1.* Hugo Cardinalis *lib. 2. Plenus tractauit Franconi. de horis Canon. cap. 93. & 94.* Et hæc questio pendet ex ea quam superiori capite tractauit, an eo anno dies festus primus azymorum quem Iudæi secundum legem celebrabant, Luna quartadecima primi mensis, occurreret in sexta Feria, an potius die Sabbati? Nam si dies festus azymorum primus incurrit in sextam feriam, consequens est, vt dies Pentecostes incidit in sabbatum: quoniam si ab altero die post festum diem azymorum numeres septem hebdomadas, quæ continent quadraginta nouem dies, finiuntur in sexta feria: at post hebdomadas septem expletas dies quinquagesimus erat dies festus azymorum: ergo eo anno dies Pentecostes fuit in sabbato, si dies primus festus azymorum cecidit in sextam feriam. Profecto questio hæc est difficilis, si sententiæ communes suo loco non moueantur, vt mouere non conuenit.

Quidam, vt Hugo Cardi. Lyran. & Caiet. *lib. 2.* aiunt argumento proposito conuicti eo anno Pentecosten Iudæorum incurrisse in sabbatum, & eo die venisse in discipulos Domini Spiritum sanctum, sed Ecclesiam Pentecosten in diem Dominicam transulisse, ne cum Iudæis Pentecosten celebrare videatur. Sed certe hæc sententia pugnat cum traditione Ecclesiastica quæ (vt dixi *ca. 3.*) habet, & docet, Spiritum sanctum in Domini Apostolos descendisse in die Dominica.



Alii dicunt, Spiritum sanctum venisse quidem in die Dominica, sed proxime sequenti Pentecosten Iudæorum, quam celebraverant in sabbatho. Cæterum Francolino non placet hæc sententia, quoniam vim afferre videtur scripturæ *Act. 2.* dicenti. *Et cum complerentur dies Pentecostes*, nam iuxta hanc opinionem, cum Spiritus sanctus descendit, completi & transacti iam erant dies Pentecostes.

Alii volunt, Lucam *Act. 2.* Pentecosten intelligere non legalem, & typicam, sed Evangelicam, & Christianorum Pentecosten, & dies quinquaginta non numerari ab altero die post diem festum Paschæ legalis, sed à die Dominicæ resurrectionis; quod est Pascha nostrum, sic Alii siodoreni & Maior locis citatis. Mihi tamen probabilius videtur quod Francolinus dixit, Lucam eo loco de Pentecoste Iudæorum locutum fuisse, ut ostenderet veritatem cum figura congruere: nimirum, legem Evangelicam Spiritus sancti Adventu confirmari eodem die, quo lex vetus est data diuinitus.

Quare alii respondent, Pentecosten dies *Act. 2.* non accipi pro diebus quinquaginta post Pascha, sed pro diebus septem, quibus colebatur celebritas Pentecostes: quemadmodum Pascha celebratur per dies septem azymorum. Sic auctor Historiæ Scholasticæ *super Numer. c. 43. & 44. & Act. 2.* sic Catthasianus *super Leuit. 23.* Verum probabilius est celebritatem Pentecostes vno tantum die coli, ut docet Abulen. *Leuit. 23. g. 16.* Caietanus, *Exod. 23. & Leuit. 23.* Profecto magnum hinc sumitur argumentum ad probandum, eo anno, quo passus & occisus est Christus Dominus, diem festum azymorum incurrisse in sabbatho, non in sextam Feriam, & septem hebdomadas cepisse Iudæos numerare ab altero die post sabbathum, & festum azymorum, ut præcipit Lex in *Leuit. c. 23.* & finem habuisse septem hebdomadas in sabbatho, & proinde Pentecosten incidisse, in diem Dominicam, & in eadem die Spiritum sanctum discipulorum corda, diuina gratia reuoluisse. Sed quia, ut dixi, retinenda est communis opinio Theologorum, qua docemus, anno, quo mortuus est Christus festum diem Paschæ incidisse in sextam feriam: deo argumento prædicto preminuit; quo modo eo anno Pentecosten celebritas fuerit in die Dominica. Francolinus loco citato respondet, quoties primus dies festus azymorum cadebat in sextam feriam septem hebdomadas non incipiebant numerare Iudæi à sabbatho proxime sequenti, sed à tertio die post festum diem azymorum, & ita eo anno septem hebdomadæ terminatæ sunt in sabbatho. & Pentecosten celebritas incurrit in Dominicam diem: sic etiam Sigon. *lib. 3. de Republ. Hebræor. cap. 10. & 18.* crederem sane, quod dicunt hi Auctores de septem hebdomadarum numeratione, si id probarent, vel scripturæ testimonio, vel alicuius interpretis auctoritate: est enim valde probabilis eorum sententia, sed quod sine auctoritate dicitur, fortasse dicit quispiam facile eadem ratione reicit.

Sane si hæc sententia non placet, non video quid aliud responderi commode possit; nisi dicatur, vnum ex duobus, vel Pentecosten dies eo anno fuisse in sabbatho completos, & Spiritum sanctum in die Dominica proxime sequenti venisse, & Pentecosten Iudæorum in Evangelicam Christianorum Pentecosten mutasse, hoc est, voluisse ut Pentecosten dies ex eo tempore inceptum numerari à die Dominicæ Resurrectionis, non autem ab altero die Paschæ legalis. Et cum Lucas *Act. 2.* dicit: *Et cum complerentur dies Pentecostes*, intelligatur, completis, & omnino perfectis quinquaginta diebus Pentecostes legalis, ab altero die celebritatis azymorum, Completis itidem quinquaginta diebus, id est, aduentante quinquagesimo die Pentecostes Evangelicæ à die Dominicæ resurrectionis Spiritum sanctum de celo venisse: vel secundo, illud ab altero die Sabbathi, sumatur exclusiue, ut aiunt, & ita complebuntur quadraginta nouem dies in sabbatho, & quinquagesimus erit Dominicus, ut fuit reuera in eo anno, quo passus est Christus.

Quarto quaeritur, An diem festum Pentecosten Apostoli instituerint, ita ut præcepissent esse quotannis obseruandum. Non est, cur aliquis dicat, non esse primo Apostolorum seculo institutum diem Pentecosten, sed postea ab Ecclesia, primis tamen post Apostolorum seculum temporibus, liquidem huius diei festi apud Christianos meminerunt antiquissimi Ecclesie scriptores. Irenæus in *Oratione de Pascha citata à Iustino Martyre in Questionibus, questio. 115.* Iustinus ipse ibidem. Tertullianus *lib. de Corona militis c. 3.* Origen. *lib. 8. contra Celsum*, Epiphanius in *Compendio Fidei Cathol. Basil. de Spiritu sancto cap. 27.* & ante eos omnes Clem. Rom. *lib. 5. Constit. Apostolicæ cap. 18. & lib. 8. cap. 33.*

Communiter vero Auctores putant, Pentecosten fuisse ab Apostolis institutum, nam 1. ad *Corinth. 16.* Paulus ait: *Manebo Ephesi usque ad Pentecosten: & Act. 20.* de Paulo scribit Lucas: *Festinabat ut si quo modo posset, Pentecosten ageret Hierosolymis.* Quibus in locis Epiphanius loco citato, intelligit Pentecosten Christianorum, non Iudæorum. Sed omnino certum non est, an hæc scripturæ de Christiana Pentecoste, an de Iudaica intelligatur; de qua conuenit interpretosque intelligi illud *Actorum 2.* *Et cum complerentur dies Pentecostes.*

Ego in hoc arbitror verissimum quod scribit Augustinus in *epist. 118. ad Ianuarium*, his verbis: *illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodiuntur, quæ quidem toto terrarum orbe obseruamur, autem intelligi, vel ab ipso Apostolo, vel plenariis Conciliis quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas commendata atque statuta retineri; sicut quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in caelum, & Aduentus de celo Spiritus sancti anniuersaria solemnitate celebrantur.*

Quinto quaeritur, an vnum tantum dies Pentecosten tanquam festus colendus sit, an plures? In *c. Conquestus de Feriis* ex Gregor. IX. inter dies festos numeratur Pentecosten celebritas cum duobus diebus qui sequuntur: & in *ca. Pronunciandum de Consec. dist. 3.* ex Concilio Lugdunensi prius constitutum fuerat sic: *Sancti dies Pentecosten*, ubi generatim sancti dies dicuntur, non tamen dierum numerus exprimitur. At in *LV in die. & in Lomnes dies, C de Feriis*, ubi nullamento fit diei Pentecosten. De hæc celebritate seruatur id, quod habetur in *c. Conquestus, de Feriis.*

Sexto quaeritur, quo mense, & quo die mensis fuerit dies festus Pentecosten, eo anno, quo Spiritus sanctus in Apostolos, & Discipulos Domini descendit. Respondeo, si sequamur opinionem eorum, qui dicunt mortuum esse Christum die 3. Aprilis, quam sententiam dixi *hoc eodem libr. cap. 6. g. 2.* esse secundum Iuniores valde probabilem, Spiritus sanctus descendit in discipulos Domini die 24. Maij, quia si mortuus est Christus die 3. Aprilis consequens est, ut resurrexerit die 5. Aprilis, & ab ea die vique ad diem 24. Maij, sunt dies 50. ergo sequitur, ut celebritas Pentecosten eo anno incidit in diem 24. Maij. At si mortuus est die 25. Martij, ut sentiunt plerique Patres, Spiritus sanctus venit die 15. Maij.

Septimo quaeritur, Cur Spiritus sanctus apparuit in die Pentecosten in specie ignis, linguarum, & ventis? Respondeo, apparuisse in specie ignis, ut Apostolos & Discipulos Domini igne caritatis accenderet, & ut instat ignis calore, claritate, celeritate, & efficacia plurimum valeret, & vitiosos peccatorum humores abumerent: in specie linguarum, ut eos varijs linguis loqui doceret, & ut essent diuini verbi interpretes & nuntii: in specie ventis, ut eos spiritualium charismatum ministris efficeret: quibus Christus iussu dō Spiritum sanctum dederat, ut pœnitentium peccata dimitterent.

Octauo quaeritur, quare donum linguarum fuerit quod datum est Apostolis, an videlicet, tale ut eos Hebræa lingua loquentes, auditores intelligerent, ac si eorum lingua loquerentur, an vero potius tale, ut varijs Gentium linguis loquerentur. Olim vetus controuersia fuit, an primo, an secundo modo linguarum donum acciperetur, vide super illud *Act. 2.* *Audiebat unusquisque lingua*

*sua illos loquentes:* dicit Glossa Bedæ, vel sua, id est, Hebraica lingua loquentes ab omnibus intelligebantur, ac si proprijs singulorum loquerentur, vel linguis omnibus loquebantur. Sed dubitari non potest, quin & donum linguarum diuinitus datum Apostolis, & discipulis tale fuerit, ut nosset linguas omnium, & possent loqui linguis omnium Gentium. Gregor. in homil. 40. in Euangelia. Spiritus sanctus super discipulos in igneis linguis apparuit, & eis omnium linguarum scientiam dedit. Sic S. Thomas, secunda secunda. q. 176. art. 1. & cerie hoc videtur ex sacris literis colligitur Paul. 1. Cor. 14. ait: Gratias ago Deo, quod omnium verbum lingua loquor, & ait. 2. dicitur: Loquebantur varijs linguis magnam Dei. Et audiebat unusquisque lingua sua illos loquentis. Marc. vii. Linguis nouis. Nec Glossa Bedæ oppositum dixit: sed solum docuit, ut quomodo fieri potuisset, sed maiori miraculo factum est, ut ipsi omnium linguarum generibus loquerentur. Vnde S. Thom. secunda secunda. q. 176. art. 1. ad 2. dixit: Verumque fieri potuisse, sed conuenientius factum est, ut omnium linguis loquerentur. Nazianz. Oratione sexta. que de Spiritu sancto, omnino probat donum linguarum fuisse, quo Apostoli varijs Gentium linguis loquebantur. Idem sane meo iudicio senserunt Ambr. serm. 62. qui est de Pentecoste. Aug. trakt. 93. in Io. Leo serm. 5. de Spiritu sancto. Chrysost. ser. 83. Greg. homil. 30. in Euangelia. Cyril. Catech. 13. Chryl. homil. 35. in 1. Cor. 13. & homil. quod Christus sit, deus, & homo de Spiritu sancto. Scio Carthulianum. Ait. 2. dicere donum linguarum in hoc fuisse, ut Apostoli sua lingua loquentes, intelligerentur ab auditoribus diuersarum linguarum, ac si ipsorum linguis yterentur, cuius sententia videtur favore Cypria. serm. de Spiritu sancto. Occum. & Atator. Ait. 2. Verum id retinendum est, quod ante dixi: quamuis non videtur negandum, aliquando accidisse, ut Apostoli, vel discipuli Domini vna lingua verbum Christi annunciantes, intelligerentur ab auditoribus diuersarum linguarum, qui presentes eorum concioni erant.

## CAP. IX.

## De die natali Domini.

**P**rimo queritur, De tempore, quo natus est Dominus noster, quo videlicet mense, & quoto die mensis ortus sit. Teste Clemente lib. 1. Strom. quidam Hæretici dixerunt, natum fuisse in mense Aprili die 21. Quidam iunior hæreticus Mathus Beoaldus in Chron. par. 4. cap. 2. & 3. scribit, fuisse natum in mense Septembri, & in Aequinoctio Autumnali: & eo tempore adoratum à Magis, & postea labentibus annis baptizatum à Ioanne. Hic Hæreticus omnia tempora confundit, conceptum scilicet atque ortum Christi contra Ecclesiasticam traditionem, ne cum Ecclesia Catholica sentire videatur.

Ægyptij Catholici teste Epiphanio Hæresi 51. putauerunt natum esse Christum mense Ianuario, die quinta, in qua etiam ferebantur apparuisse Magis & baptizatum esse à Ioanne in Iordane.

Ab hac sententia non videtur ipse Epiphanius abhorere. Traditio vero Ecclesiastica habet, natum fuisse Christum Dominum in mense Decembri 8. Kalend. Ianuarias, hoc est, die 25. Decembr. Vnde Augustinus in Psalmum 132. ad finem, ait: Ioannes natus est, sicut tradit Ecclesia, 8. Kalend. Ianuarias, quando iam incipiunt dies minui: & Christus, 8. Kalend. Ianuarias, quando iam incipiunt crescere: Sic ille. Græci itidem eodem die & mense fatentur esse natum, ut ait Anastasius Nicænus in libro quæst. suarum q. 92. & constat ex Kalend. Græcorum, quod apud eos Monologium vocatur.

Secundo queritur: Quo die hebdomadæ natus est Christus? Respondeo, cum natum esse die Dominica, ut communis est Scriptorum sententia. Sic habent Patres in Synodo 6. Generali, cap. 8. Sophron. in Orat. de Natiui. Christi. Cassiodorus in Psalmum 117. super illa verba: Hæc dies quam fecit Dominus: Rupertus lib. 3. de Diuin. Offic. cap. 16. Marius Scot. in Chron. Nicephor. lib. 12. ca. 1. ubi dicit, circumcisum fuisse die Dominica, ergo significauit natum esse die Do-

minico, quia ex Luca 2. habemus eum octauo die circumcisum fuisse Durandus in rationali diuino offic. lib. 6. c. 13. Antonin. 1. par. hist. tit. 8. cap. 1. §. 2.

Id etiam aliunde colligitur. Nam Christus conceptus est, uti habet Ecclesiastica traditio, die 25. Martij, quæ fuit sexta FERIA, ut dicam inferius, nimirum dies Veneris: at si computentur dies ab ea sexta FERIA Martij vsque ad diem Dominicam, quæ incidit in diem 25. Decembris, fiunt integri, & completi nouem menses. Eo itidem anno, in quo natus est Dominus, litera Dominicalis, fuit B. Decembris primus dies fuit FERIA quinta, litera F. Vltimus dies Decembris fuit Sabbatum, litera A. Decuit autem, ut Christus eo tempore nasceretur, quo dies incipiunt crescere, & augeri lux diurna: quippe qui veniebat tanquam sol iustitiæ sui Euangelij luce mundum illustraturus.

Verum enimvero non facile intellectus est, Quomodo id verum sit, quod in sexta Synodo Generali, cap. 8. dicitur, in die Dominica natum esse Christum, & in die Dominica stellam apparuisse Magis: nam à Natali Dominico vsque ad Magorum aduentum fluxerunt dies 13. ergo si natus est Christus die Dominico, non apparuit die Dominico Magis, sed in die Veneris. Respondent quidam eos Patres secutos esse sententiam eorum, qui putauerunt Christum non eodem anno, quo natus est, à Magis fuisse adoratum: sed vel vno anno, aut duobus elapsis: quamuis eodem die, quo natus est, ipsis stella apparuerit, de quorum sententia postea inferius disputabo. Sed hoc mihi non placet. Dicendum existimo, Patres eo loco non dicere in die Dominica Christum fuisse adoratum à Magis, sed in Dominica stellam apparuisse Magis: quod verum est, nam eodem die, quo natus est, stellam Magi viderunt in Oriente.

Tertio queritur, An annus, quo conceptus & ortus Christus est, communis, an bissextilis fuerit: Fuit, ut docet Ioannes Lucius de vero die Possit. nis Domini. a. 6. reuera annus communis, sed primus post bissextilem, qui tunc debuit esse post correctionem Calendarij factam primo à Iulio Cæsare, & secundo, ab Augusto Imperatore, ad emendandum errorem, quem Sacerdotes idolorum intexerant: post emendationem anni à Iulio Cæsare coniectam, qui tertio quoque anno diem intercalauerant, tamen Iulius Cæsar intercalandum esse quarto quoque anno constituisset, ac proinde, ut testatur Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 4. Solinus cap. 3. Plin. lib. decimo octavo, capite vigesimo quinto. III. vel inciticia, vel malicia, spatio sex, & triginta annorum; videlicet ab emendatione anni, à Iulio Cæsare facta, vsque ad annum trigessimum quintum Augusti Imperatoris, duodecies diem interposuerunt; cum tamen nouies tantum interponere debuissent, & ideo præcepit Augustus, ne in duodecim annis deinceps sequentibus diem intercalarent, ut sic annus corrigeretur, prout fuerat à Iulio emendatus; hoc est: Ut transactis quodecim annis, sine vlla intercalatione dicit tres illi dies, qui vltra nouem necessarios, temere fuerant intercalati, abforberentur, & deinde vnus dies quarto quoque anno intercalaretur. Hinc factum est, ut annus Christi octauus, & postquam finiti sunt duodecim illi anni, quos iussit Augustus sine intercalatione decurrere, fuerit primus bissextilis, iuxta emendationem Augusti. Vnde centesimus quisque annus à Christo nato, semper est bissextilis.

Præterea natus est Christus anno Imperij Augusti Cæsaris quadagesimo secundo. Ita Clemens libro primo Strom. Eusebius in Chronica, Epiphanius libro primo. Hæresi vigesima, & libro secundo. Hæresi 51. Beda de sex. Aetibus Mundi. Martyrologium Romanum: quamuis Irenæus lib. 3. cap. 3. Tertullianus contra Iudeos capite octauo, Hieronymus super capite secundo Isaia, & in capite secundo Danielis. Cassiodorus & Marius Scotus in Chronica dicant natum esse Christum Dominum anno quadagesimo primo Augusti. Sed facile conciliari possunt hæc Auctores, si dicamus natum esse Dominum anno Augusti 41. expleto, & anno eiusdem Imperatoris 42. currente. Item secundum Com-

putationem Græcorum natus est Olympiade 194. in anno tertio eiusdem Olym. Sic Marian. Scot. in Chiton. ex Eusebio secundum alios anno secundo, iuxta aliorum sententiam anno quarto. Is idem annus erat ab Vrbe condita 752. ab origine mundi secundum Hebraicam computationem, ut quidam supputant, anno 3964. vel ut alij supputant anno 4022. iuxta Septuaginta Interpretes anno 1959. vel, ut alij supputant 3508. vel 5022. Herodis regis in Iudæa anno 32. ut aiunt Epiphani. *Hæresi 51. Clemens lib. 1. Stromat. Euseb. in Chronico.*

Quarto quaeritur, Quota hora noctis Christus natus sit? Habet Ecclesiastica traditio, Christum natum esse nocte: quamvis Hesyhius, teste Anastasio Sinaita *l. 7. Hexameron.* & ipse Anastasius Sinaita, & Anastasius Nicanus in *Questionibus. q. 93.* innuere videatur, non nocte, sed ortu iam die natum Dominum fuisse. At enumerato ex Evangelio Lucae, *cap. 2.* satis aperte colligi videtur, ortum esse nocte, illis verbis: *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

Sed quaestio est præcite, Quota hora noctis natus est? Respondeo, natum esse statim post mediam noctem incipiente die 25. Decembr. quæ fuit, ut superius dixi, dies Dominica. Unde Ecclesia in diuino officio Natalis Domini cantat illud Sap. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu mediū iter haberet: omnipotens sermo tuus Dominus, & reliq. In nocte conceptus est Christus, in nocte natus est, in nocte resurrexit à mortuis, ut nostra ignorantia tenebras, diuina sua lucis & gloria radis illustraret.* In memoriam ortus Domini, Ecclesia ex tribus Missis u. sacrificijs, quæ Telephorum Romani Pontificis institutio, in Natali Domini facit, primū statim post mediā noctē Deo offert. In nocte quoque cenæ vltimæ cū suis Discipulis comedit, eorū pedes lauit, venerabile, & sacrosanctū Eucharistiæ Sacramentū instituit. In nocte à Iuda traditus est, & à Iudæis comprehensus & vincus.

Quinto quaeritur de loco, vbi natus est Christus? An ortus fuerit in stabulo, an in spelunca? Latini veteres Patres communiter tradidit eū fuisse in stabulo natū, postea vero in præsepio reclinatū: quoniam *Luc. 2.* dicitur: *Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Nam Ioseph & B. Virgo exclusi à diuersorio, quia eis locus nō erat, se in stabulo receperunt: *Cypri. in orat. de Natiuitate Domini.* Nulla, inquit, domus ambitio, nisi reclinatorum in stabulo: mater in fœco, infans in præsepio. *Aug. in serm. 2. de Epiph. ait: Abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in caelo, ut agnitus in caelo, manifestaretur in stabulo.* Quod autē Latini Patres stabulū Græci speluncam vocarunt: Iustinus in *Dialogo cū Typhone: cū Ioseph,* inquit, *in vico locū non haberet, in quo diuersaretur, in spelunca diuersatus est.* *Otyg. lib. 1. contra Celsum,* in spelunca natum esse Christum ait: ut etiam Athanasius in *Serm. de Natiuitate Christi.* Euseb. *lib. 7. de Demonstr. Euang. c. 5.* Nihil in orat. de Natiuitate Christi. Quid, inquit, sibi vult quod in spelunca Dominus diuersatur, quod in spelunca decumbit? Cuius speluncam videris, in qua nascitur Dominus subterranam, & lucis expertem hominū cogita vitā, in qua versatur is, qui illucescit, & apparet his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent. *Epiphani. Hæresi 51.* Lucas, inquit, dicit, fascijs inuolutū esse puerū recens natum, & iacuisse in præsepio, & spelunca. *Theodoretus lib. 1. de curan. Græcæ inuicis affect. Tophaceum specum vident, in quo pauperculam Virginem, in quo renouit fascia inuolutum infantem, ipso in præsepio, sicut humiliter reclinatum.* *Niceph. lib. 1. c. 13. casam, & c. 12. tugurium humile appellat, ne putes in hoc Græcos à Latinis dissidere: quia in stabulo, vel stabulum erat spelunca quædam.* Unde Hieron. simul vocat, & stabulum, & speluncam in *epist. 27. in Epitaphio Paula,* & in *epist. 18. que est ad Marcellam,* speluncam nominat.

Sexto quaeritur, An præsepium, in quo & vbi reclinatus est Dominus, fuerit lapideum, hoc est, ex lapide, & luto factum, an ligneum, Chrysothomus *homilia prima in Lucam* videtur innuere fuisse luteum. Ait enim sic: *O si mihi liceret videre illud præsepium, in quo Dominus iacuit: Nunc nos Christiani quasi pro honore tulimus luteum, & posuimus argentum;*

*sed mihi præsepium est, quod ablatum est.* Cæterum tanquam certa sententia haberetur, & merito, præsepium Domini fuisse ligneum; nam usque in hodiernum diem tale asseruatur Romæ in *Æde Sanctæ Mariæ Maioris.* Hieron. in *epist. 48.* dicit in loco illius speluncæ, vbi natus est Dominus insignem Ecclesiā fuisse edificatā & præsepium loco altaris constitutum.

Septimo quaeritur, An cum primū Christus ex utero Virginis prodijt, iacuerit in nudo terræ solo? S. Brigitta *lib. 7. cap. 21.* puerum ex intacto & incorrupto Virginis uero prodijt, & in nudo terræ solo iacuisse: cumque puer præ sigore & duritia pavimenti, vbi iacebat, non sine ciu lacu, & tremore paululum se verteret, & extenderet membra sua, tunc B. Virgo suscepit eum manibus suis, & strinxit ad pectus suum, fuit, & calefecit, & eum fascijs inuoluit, & reclinauit in præsepio.

Octauo quaeritur, Qualis domus fuerit diuersorium, ad quod Ioseph, & B. Virgo diuertereunt? Communi consensu rejicitur eorum sententia, quid dixerunt diuersorium, de quo Lucas secundo fuisse propriam domum Ioseph & Beatæ Virginis, *Niceph. lib. 1. c. 10. & cap. 13.* scribit, eos in oppido Bethlehem, & Nazareth habuisse domum & aliquas possessionunculas, quia utrobique habitant, & *cap. 15.* ait: *Habitabant Ioseph, & B. Virgo in ciuitate Nazareth: sed patria eorum erat Bethlehem.* Quia tamen Iudæa regio continuis bellis vexabatur, in oppidum Nazareth se contulerant, & ideo ibi domicilium habebant. Cum vero in Bethlehem peruenissent ob censum, Casaris edicto solvendum. Et nondum, inquit Nicephorus, ad domum propriam peruenissent, in agrum quendam diuertereunt: qui ager Salomo erat, in quo tugurium humile, & præsepium ad iumenta capienda constructum erat. Dicit itaque Nicephorus, Iosephum, & Beatam Virginem in oppido Bethleemico habuisse domum sed non in ea Christum natum fuisse, quia nondum ad domum propriam mater eius eum sponso peruenerat. Nam si domi suæ Beata Virgo filium peperisset, cur Euangelista dicit, *Non erat eis locus in diuersorio?* Cur puer recens natus positus est in præsepio? Sane non ob aliud, nisi quia in alieno hospicio, & hospitium pleno non fuit aliud locus, vbi poneretur. Alij dicunt, diuersorium fuisse locum in vico Bethleemico, superne testum, de cætero patulum, & in diuersas vias apertum.

Dicendum est, Græcum nomen *νεκλήριον*, quod hoc loco Latinus Interpret diuersorium vertit; quamvis apud Græcos non solum significet publicum hospitium, sed omne etiam domicilium conuictum hominibus. Unde *Marci 14.* Vbi nos Latine legimus: *Vbi est refectio mea Græce est νεκλήριον,* & apud Lucam Latinus Interpret reddidit: *Vbi est diuersorium meum, & erat conuictum grande,* ut inquit Marcus. Præfenti tamen loco videtur significare commune hominum hospitium, quo omnes peregrini, & viatores diueter solent. Vult itaque significare Euangelista, eos, cum domo propria caruissent, & in priuatis ciuium domiciliis locum non inuenissent, ad commune hominum hospitium diuertisse: & illic etiam locum non inuenientes, in stabulum, quæ erat spelunca diuertisse.

Nono quaeritur, An huiusmodi diuersorium fuerit in tra oppidulum Bethleemiticum, an extra Hieronymus *epist. 29.* videtur significare, fuisse intra ipsum oppidulum. Idem quoque Cyprianus in *orat. de Natiuitate Christi,* Beda, in *libello de locis sanctis cap. 28.* At Iustinus Martyr in *Dialogo cū Tryphone,* significat speluncam, in qua natus est Christus, fuisse extra vicum Bethleemiticum, in agro vicino prope muros ipsius oppidi. Ita *Orig. lib. 1. contra Celsum,* Euseb. *lib. 7. Demonstr. Euang. cap. 7.* Niceph. *lib. 1. c. 12.* Ita ut Ioseph, & B. Virgo locum non inuenierint in priuatis domicilijs ciuitatis, nec in communibus hominum hospitij: & propterea diuertere ad tugurium rusticum, pauperulum & humile extra oppidum situm.

Quæquid sit: fides Catholica habet Christum Dominum natum esse in oppido Bethlehe, *Mat. 2. & Luc. 2.* sicut prædictū fuerat *Michea 5.* siue ortus fuerit in stabulo siue

spelunca communis hospitij, quod erat intra Bethlehem, siue in stabulo, quod erat extra: nihilominus ad Bethleemicos fines & ciues pertinebat.

Decimo quaeritur, An stabulum, siue spelunca, vbi natus est Christus, fuerit locus quidam separatim à diuersorio, an vero fuerit intra ipsum diuersorium? Quorundam opinio est, fuisse locum separatim. Contra, alij visum est, fuisse in ipso diuersorio tanquam locum, in quo animalia eorum, qui ad hospitium diuertebant, includebantur.

Vndecimo quaeritur. Quales fuerint panniculi quibus B. Virgo infantem obuoluit. Quod Latinus Interpres Luca sic uerba vertit: (Et pannis eum inuoluit) si ex Graeco ad verbum vertamus, possidemus Latinum verbum formare: (Et infasciauit eum, hoc est, eum fascijs obuoluit) B. Beigita libro septimo capite vigesimo primo dicit fuisse panniculos lineos & laneos, quos Beatissima Virgo praeparauerat, & secum detulerat. Equidem eos panniculos credendum est non fuisse pretiosos, ac delicatos: sed vulgares, & communes; quales pauperulam matrem, & paupertatis magistram decebat: non laceros icidem, nec veuistate detritos, sed integros, & nouos; non sordidos; sed mundos, ac puros, quales praestare matrem puram, ac diligentem decebat, & infantes recens nati soleat fascijs inuolui, ne eorum membra tenerrima dissuant. Voluit CHRISVS Dominus, vt tale maternum officium sibi Virgo mater exhiberet, vt in hoc carnis susceptae veritatem ostenderet.

Porto ex hoc quod Lucas capite secundo dicit, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in praesepio, Patres communiter duo colligunt. Vnum in B. Virginis partu nullas obstetricis interfuisse. Vnde Hieronymus aduersus Heluidium: Nulla, inquit, ibi obstetrix, nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsa pannis inuoluit infantem, ipsa mater, & obstetrix. Cyprianus in orat. de Natiuitate Domini. Genetrix est, inquit, & obstetrix. Idem quoque Athanasius in sermone de Natiuitate Christi. Quare nulla auctoritate fulcitur, quod dicitur in apocrypho libro de infantia Saluatoris, ibi obstetricis interfuisse. Sanctus Thomas tertia parte quaest. trigesima quinta art. sexto ad tertium. Alterum est, Beatam Virginem peperisse filium suum absque villo dolore: tale enim officium alioqui praestare non potuisset. Cyprianus loco citato. Deuotam deuotae & soboli exhibere eliam, attrahat, amplectitur, inuigilat, oscula, porrigit manibus, totum negocium plenum gaudio, nullus dolor nulla natura contumelia in puerperio. Et paulo inferius: Quoniam sine tormento peperit, quia in conceptione caruit voluptate. Idem habet B. Athanasius in praedicto sermone, & Augustinus in sermone 14. de Natiuitate Christi ait: Nec in conceptione inuenta est sine pudore uirginis, nec in parturitione inuenta est cum dolore. Damascenus lib. 4. de Fide Orthod. c. 15. Quomodo, inquit, voluptas non ante eum, nec dolor partus secutus est. Idem quoque tradunt Nyssen in orat. de Natiuitate Christi. Nazianzenus in tragedia de Christo patiente circa principium. Fulgentius sermone de Laudib. Beat. Virginis, Bernardus homilia tertia Super Missus est, & sermonibus in Vigilia Natiuitatis Domini.

Duodecimo quaeritur, An Christus recens natus fuerit ablutus more caeterorum infantum; qui statim vt eduntur in lucem lauantur. Caietanus tertia parte quaest. 35. art. 6. ad tertium, ait, infantem Christum cum primum in lucem produit, Angelorum opera, & ministerio omnia obsequia copisse, quibus caeteri infantes in statu innocentiae fouentur, videtur significare ab eis fuisse absque ablutione mundatum; & eius membra consolidata: Quoniam Beatam Virginem non decuit manus in his ponere obsequijs, nec se in huiusmodi re occupare, sed totam contemplationi intentam vacare. Sanctus Bonaventura de Mediat. Vita Christi cap. 7. dicit, ex reuelatione facta cuidam sancto viro, vbi primum natus est infans, matrem se inclinasse, eumque reuoluisse; & dulciter amplexatum posuisse in gremio suo, & vbera de oculo pleno; & Spiritu sancto edoctam cepisse ipsum lauare per totum lacte suo: quo facto inuol-

Azor. Instit. Moral. Pars 2.

uisse eum velo suo, & posuisse in praesepio. Hiero. in Epist. ad Eustochium de uirginitate seruauit. Dicit, inquit, filius factus est filius hominis nouem menses in utero, vt nascatur, expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, eruantus ex hoc mundo exit: lotus à Iosepho & Nicodemo sepultus & traditus est. Cruentus, inquit, egreditur, hoc est, pollutus sanguine more caeterorum infantum.

Sed certe id credendum est potius, quod dicit Epiphanius Haresi 69. Ex matre sola genitus est impollutus, & extra vlla inquinamentum: quare nulla ablutione indiguit, ac firmus undus vt caeteri infantes ortus fuerit. Quod si lotus est, non id factum esse voluit, quia ablutione esset opus, vt sic mundaretur; sed vt carnis assumpta veritas ostenderetur, & infantilia membra firmarentur: vt atque consolidarentur.

Decimo tertio quaeritur, An Christus infans fuerit in praesepio positus inter duo animalia, scilicet bouem & asinum? Patres communiter tradiderunt eum positum fuisse. Ita Origenes homil. 13. in Lucam. Ambrosius Luc. 1. Nyssenus Orat. de Christi Natiuitate. Chrysostomus homil. 1. in Lucam. Cyrillus Hierosol. Catech. 12. Hugo in orat. contra Iudaeos, Hieronymus epist. 27. ad Eustochium uirginem, Paulinus epist. 10. ad Severum Suscipit. Et legendum est, praedictos Patres asserere, hoc factum esse: conuenienter duobus Prophetarum uaticinijs: nam Isa. 1. dicitur: Cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepio domini sui: & Habacuc secundum interpretationem Septuaginta: In medio duorum animalium cognosceris. vbi vulgata Latina editio habet: In medio annorum uisifica illud. Vitamque autem Lectionem admittere debemus. Prima quidem, quia est Septuaginta Interpretum, & eam in hoc loco Patres communiter recipiunt & approbant, immo Ecclesia ipsa diuinitus edocta, sic legit in officijs diuinis, videlicet Natiuitatis Dominicæ, & octaua eiusdem: Secundam vero, quia sic legit Ecclesia in vulgata Latina editione Habac. 3.

Sed vnde orta est huiusmodi lectionis varietas? Respondeo ex ipso Hebraico textu, in quo sunt duo vocabula. Vnum, varijs punctis affectum, quod ambigua est significationis, & significat annos, & duos. Septuaginta legerunt, ac si punctis scriptum esset, significans duo: Hieronymus legit, ac si significaret annos. Rursus secundum vocabulum Hebraicum sicut aliter lectum, potest esse verbum, significans uiuifica: vel potest esse nomen sonans animalia, vel vitas: quare nihil mirum est si Septuaginta vertunt: (In medio duorum animalium cognosceris) Hieronymus vero: in medio annorum uisifica illud, & uterque sensus in Natalem Dominicum quadrat, videlicet ita: in medio annorum, nimirum afflictionum, quibus populus tuus vexabitur, uisifica, id est, saluum fac, opus tuum, id est, populum tuum, quem tu ac tantis beneficijs affectisti. Vel: in medio duorum animalium cognosceris: id est, ueniet aliquando tempus, vt natus in hoc mundo, inter duo animalia videaris.

Quæres, vnde nam bos & asinus extiterint in stabulo, vbi natus est Christus? Aiunt quidam recentiores, credibile esse, ea animalia fuisse peregrinorum, qui in hospitium diuertebant. Sed communis est sententia, ea animalia fuisse ipsius Ioseph, qui asinum duxerat, vt eo B. Virgo grauida uerberetur, bouem vero, vt venderet, & ex pretio eius tributum Caesaris solueret, & se, ac Beatam Virginem sustentaret.

Decimo quarto quaeritur, Quota noctis hora pastores ad Christum adorandum uenerint: Lucas Euangelista nec expressit quot pastores fuerint, nec quota hora uenerint, nec quis Angelus fuerit, qui ipsi apparuerit. Arnobius in Psalmum 129. dicit fuisse quartam noctis uigiliam, quando Angelus pastoribus apparuit. Idem videtur habere communis Ecclesiae traditio, quæ in Natali Dominico, secundum sacrificium facit, & offertur in aurora, in quo legit Euangelium de aduentu pastorum ad puerum recens natum uidebunt & adorandum. Beda in libro de locis sanctis e. 8. dicit illos pastores fuisse tres. Hieronymus epist. 27. ait locum vbi Angelus est uisus pastoribus, fuisse prope Bethleem, iuxta currim tunc uocatum (Ader) id est, gregis,

104. 19.

15a. 1. Habac. 3.

iuxta quem locum olim Iacob pavit greges suos. Cypria in orat. de Natiu. Christi, testatur ab omnibus creditum esse Gabrielem fuisse illum Angelum, qui pastoribus apparuit, annunciauitque Domini Natiuitatem.

Decimo quinto quaeritur, An celebritas annua Domini natalis antiquissima sit? Respondeo, verisimile esse, huiusmodi diem festum ab Apostolis institutum fuisse, ita ut olim coli, ac celebrari cœperit, statim nascentis Apostolicæ Ecclesiæ principio: eius meminit Clemens Rom. lib. 8. *Constit. Apostol. c. 33.*

Ultimo quaeritur, qua ratione inter se concordent Matthæus & Lucas in narranda Genealogia Christi Domini. De hac questione agam inferius hoc lib. c. 19. *quest. 6.*

CAP. X.

De die festo Circumcisionis Domini.

**R**efert Lucas capite 2. Circumcisionem esse Dominum, cum octo dies consummati essent. Primo quaeritur cur octauus dies diuina lege erat Circumcisioni præscriptus *Genes. 17. & Leuit. 12.* Elegit Dominus diem octauum Circumcisioni. Primo ut mysterium significaretur: nam septem dies temporalem vitam; octauus dies spirituales & æternam designare solet; eo quod septem dierum spatio tota nostra temporalis vita circumscisa traducitur, octauus dies ultra sequitur ac succedit: at quod ultra temporalem vitam est, spirituales & æternam est. Circumcisio vero vitam spirituales significat, qua carnis opera amputanda & abiicienda sunt. Deinde, ut aliud arcanum significaretur. Octauus enim dies transactam hebdomadam, primus sequentis alterius hebdomadae dies est, quo Christus erat ex mortuis estricturus: ut doceretur, nouam post circumcisionem vitam institendam esse, nosq. cum Christo resurgere, & in nouitate vitæ ambulare debere: Cyprian. lib. 3. *epist. 8. August. serm. 15. de verb. Domini. & serm. 141. de tempore.* Tertio ut denotaretur, nullum, nisi prius amputet carnis desideria, & opera, dignum esse ut nominetur, & sit miles Dei, & in numerum electi à Deo populi referatur: At per circumcisionem infans in populo Dei computabatur, & non antea.

Quæres, an subit aliqua causâ naturæ consentanea, cur Circumcisio octauo die fieri deberet, & non antea? Respondeo, vitam infantium masculorum, usque ad septimum diem naturaliter in magno periculo versari; exacto vero septimo die non tot ac tanta pericula subire. Vnde Arist. lib. 7. *de Natura animal. cap. 12.* de infantibus loquens, sic ait: *Plurimi ante septimum diem intereunt: quo fit, ut nomina septimo die imponantur, sâquam saluti iam pueri magis credamus.* Plutarchus in lib. *Quæst. centuriarum* quaerit, cur apud Romanos nomen masculis imponeretur nono die ab ortu: *Dies, inquit, septimus anceps erat: octauus autem, quia numerus par, feminis adscribatur, relinquatur, & ad nomen differretur, quia ad illum usque diem vita pueri anceps esset.* Sic ille.

Noluit igitur Dominus, ut ante octauum diem puer circumcideretur, ne periculo periculum adiungeret. Item cum ante octauum diem vita pueruli certa non esset, cauit diuina prouidentia, ne ante octauum diem circumcisio fieret: nam ante illum diem vita est anceps, & propterea in numero populi ante illum diem non computabatur, ut computari puer circumcisus debebat.

Secundo quaeritur, Vbinam fuerit Christus Dominus circumcisus? Generalis est quaestio. An circumcisio puerorum Hebraeorum fierat in Synagoga, an vero in loco, vbi nascerentur? Quidam existimant fieri solitam circumcisionem in Synagoga: tum quia Lucas Euangelista cap. 1. loquens de Circumcisione Ioannis Baptistæ dicit: *Venerunt circumcidere puerum:* at parentes Ioannis domi suæ erant, & circumcisioni interfuerunt: ergo venerunt in Synagoga ad circumcidendû puerum: tum etiam quia nunc apud Iudæos cœtudo est, ut circumcisio fiat in Synagoga.

Alij vero putant, circumcisionem fieri consueuisse domi, vbi nati fuerant pueri: quia nulla circumcisio legitur facta alibi, quam domi. Abrahamum legimus *Genes. 17.* filium suum Isaac, & domesticos omnes domi suæ circumcidisse. Sephora Exodi 4. filium suum ex Mose susceptum accepto cultro in hospicio circumcidit ne periret ab Angelo. Iosue 5. legitur totum populum fuisse à Iosue circumcisum in deserto, vbi erant traiecto Iordane. Ad de quod ex Luca cap. 1. colligitur, Ioannem Baptistam circumcisum fuisse in domo paterna: nam constat Elisabetham matrem eius, cum circumcideretur præsentem fuisse. Siquidem respondit: *Neguaquam, sed vocabitur Ioannes;* at octo dierum puerpera non poterat exire domos, & in Synagoga ire, quia in sanguine purificationis ex præscripto Legis *Leuit. 12.* quadraginta diebus esse debebat. Nec obstat quod dicit Lucas: *Venerunt circumcidere puerum:* intelligit enim amicos, cognatos, & vicinos, de quibus paulo ante dixerat: *Et auerent vicini, & cognati.* & rel. Minus irè obstat, quod adfertur à Iudæis nunc in Synagoga infantes suos circumcidentes, quia ipsi hunc morem & consuetudinem introduxerunt à Iosue Scripturæ exemplo.

Cum ergo quaeritur, Vbinam circumcisus fuerit Dominus? respondet Nicephorus lib. 1. cap. 12. circumcisum fuisse in domo Ioseph: nam paulo ante dixerat, Ioseph, & B. Virginem, cum nondum ad suam domum peruenissent, diuertisse ad tuguriû rusticum, & humile in agro vicino, & ibi in spelunca siue stabulo natum esse Dominum, cum alibi locus in diuersorio non esset. Postea vero putat Nicephorus, Ioseph, & B. Virginem in domum suam, quam in Bethlemico vico habebant, se contulisse, & ibi Dominum esse circumcisum. Sed communis est sententia, circumcisum fuisse in eo loco, in quo natus est, ut tradit Epiphanius libro primo contra hæreses, *post hæresim 20.* Nicepho. sibi ipse non constat: nam postea dicit, aduenisse Magos, & puerum faciens inuolutum, & in præsepio possum adorasse: quod habet etiam Ecclesiastica traditio. Ergo circumcisus est Dominus eo in loco vbi editus fuerat in lucem, ibi enim est inuentus à Magis, & adoratus.

Tertio quaeritur, An Hebræi nomen imponerent in sanctibus ante circumcisionem, an post eam? Ex Scripturis factis euidenter, & expresse non constat, quando id facerent Iudæi. Sed verisimilis est, id fieri solitum post circumcisionem. nam Luca 1. dicitur, cum sermo est de Ioanne Baptistâ: *Venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.* Et cap. 2. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus,* quod est dicere: & circumcisus est, & vocatus Iesus: Deinde, quia nomen imponebatur ob eam causam, quod tunc puer computari in populo Dei, & miles ei censeri incipiebat. Accedit, quod ut ait Chryostomus *homil. 7. de Laudibus Pauli, in signum potestatis heretici domini seruis emptis, vel bello captis noua nomina imponebant.* Vnde rex Babylonie abductis in captiuitatem Danieli, Ananiz, Azariæ, & Misaeli nomina mutauit: & Gen. 17. eodem die, quo Abraham accepit mandatum de circumcisione, nouo nomine vocatus est vna cum vxore sua, Theophylactus *Luc. 1.* dicit, post circumcisionem nomen imponi solitum circumcisus. Et quemadmodum olim apud Hebræos moris erat in sanctibus masculis in circumcisione nomen imponere; ita nunc quoque apud Christianos consuetudo est, ut filijs in baptismo dentur nomina. Apud veteres quoque Romanos nono die ab ortu masculis nomen indebatur: feminis octauo die. Sic Festus, *Macrob. primo die Saturnalis. cap. 1.* & Plutarchus in *Quæstionibus centuriis Romanorum.* Athenienses vero, teste Suida in *Verbo (Decimo)* decimo die nomina imponebantur, vocabantur (ait ille) affines, cognati, vicini, & amici; & illis frequentibus fiebat impositio nominis: & postea sacrificia Deo offerrebantur: & postremo conuocatis, epulae dabantur.

Quarto quaeritur, De nomine Iesus, quale nomen sit, Hebraicum, an Græcum, & quid significet? Hoc nomen

admira

Gen. 17  
Exo. 4.

Iosue 5.

Mat. 2.

Luc. 1.

Luc. 2.

Dan. 1.

Gen. 17.

Luc. 2.

Luc. 1.

Mat. 1.

admirabile est Hebraicum, & significat Salvatorem, vnde Matth. 1. dixit Angelus sancto Iosepho: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Deductum est autem nomen Iesus à verbo Iosia, quod scribitur in fine cum litera Ain, quod verbum significat saluum facere. Vnde falso quidam putarunt deduci à verbo Haiah, quod verbum significat Esse: à quo est ineffabile nomen Dei Iehouah demutatum, quod significat, qui est: hoc est, qui in se, ex se, & per se est.

Phil. 2.

Quaestio est inter aliquos è Catholicis, an Iehouah sit idem nomen quod Iehosuah, quo nomine vocatus est Iosue dux populi Israelitici, & summus Sacerdos dicitur Iesus filius Iosedec, Agg. 1. & Zachar. 3. Galatinus lib. de Arcanis filii Cathol. 3. cap. 20. Pagnin. de interpret. nominum Hebraicorum, Ianic. in concordia Euang. c. 7. existimant non esse idem nomen; ac proinde soli Salvatori nomen Iesu convenire. Vnde Isai. sexagesimo secundo dicitur: *Vocabitur tibi nomen novum quod os Domini nominavit.* Quod si hoc nomen alijs datum fuisset, non novum, sed antiquum fuisset. Item Paulus ad Philip. 2. dicit: *Et datum est illi nomen, quod est super omnia nomina;* ergo nullus habuit hoc nomen. Sed revera dicendum est, quod docet Origenes homil. prima in librum Iosue, & Chryl. homil. 2. in c. 1. Matth. Cyril. Catechesi 10. Euseb. libro quarto demonstr. Euang. c. 29. Iustin. in dialogo contra Tryphonem. Tertul. lib. contra Iudaeos cap. 6. & libro tertio contra Marcionem, cap. 18. August. lib. decimo sexto contra Iulianum, cap. 18. Ambros. in Psal. 47. ad finem. Hiero. lib. 1. contra Iovinianum, idem nomen esse, nisi quod dupliciter meo iudicio scribitur, & profertur in Hebraeo, aliquando enim contracte, & dicitur Iesus, vel Iosue; aliquando non contracte, integrè, & tunc dicitur, Iehosue vel Iehosua, sicut Iudaeus contracte dicitur Iudaeus, integrè Iehudeus. Iudith si integrè profertur, Iehudith; si contracte, Iudith. Iesus summus sacerdos filius Iosedec, apud Eldram e. 2. 3. 4. 5. legitur contracte Iesua apud Agg. 1. & Zachar. 3. legitur plene & integrè Iehosua.

Quinto quaeritur, Quot, & quae mysteria, sine arcana contenta lateant in nomine Iesu? Respondeo, contineri multa. In primis sciendum est, duo fuisse opera Dei potissima: vnum, quo mundum ex nihilo condidit; alterum, quo eundem peccato lapsam reparavit. Ratio primi operis Deus in Hebraeo dicitur Iehouah, hoc est, qui est in se, & ex se, & per se, vnde caetera habent, vt sint. Ratione secundi operis dicitur Iesua; id est, Saluator, quia mundum à peccato redemit, iacentem in malis, rexit, perditum reparavit. Secundo, cum Deus vniuersitatem hanc rerum ex nihilo effinxit, dicitur esse Elohim; id est, Iudex, quia singulis sapientissime dedit vires suas & facultates: dedit cuique rei; quod eius naturae congruebat. Dicitur esse Elohim; id est, Iudex quem timere, ac reuereri debemus. At vero cum mundum reparauit, vocatus est Saluator, quem colimus & amamus; vt patrem: quia cuncta quae in caelis, & quae in terris sunt, refeit & ieruaui. Tertio, inter decem nomina Hebraica Dei sunt duo Iehouah & Iah. Primum nomen significat Deum; vt est in se, ex se, & per se: secundum, significat Deum quatenus dat caeteris, vt sine; quod Philo sophi primam causam appellant: Et secundum nomen est deductum à primo quasi contractum: habet enim duas primas literas nominis, videlicet Iod, & He, & scriptura Sacra secundo nomine semper vitur in rebus laetis & prosperis & quando memorantur beneficia accepta à Deo, vt in Canticis, & in Psalmis qui compositi sunt instar Canticorum. Certe torum hoc quod diximus, praesenti mysterio conuenit, Omnia enim fuerunt nobis laeta & felicia; & innumera beneficia in nos collata sunt, postquam Deus omnipotens, qui est ex se, & per se, quasi contraxit sese; seruit formam accipientis; & caro factus in vtero Virginis. Ipse dedit potestatem filio Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Per ipsum ad Patrem imus: peti ipsum Patrem oramus, & in nomine eius im-

Ioan. 1. Ad Ph. 2. Ibidem.

petramus quae petimus. Quarto vt dicam, quod nonnulli Catholici linguae Hebraicae peritissimi pie & religiose annotarunt, vt Gal. lib. de Arcan. filii Cathol. 2. cap. 10. Vatablus Exod. cap. 28. nomen Dei Iehouah in Hebraeo scribitur quatuor literis, prima Iod, secunda He, tertia Vau, quarta He. Prima Iod significat principium, secunda He, vitam, tertia Vau, vinculum & nexum. Quid mirum, si in literis, Symbolum lateat Trinitatis. In Deo est Trinitas personarum: prima persona, quae est Pater, principium est omnium rerum, secunda est filius, per quem facta sunt omnia, & per quem vitam habent quaecumque viuunt. Tertia persona est Spiritus sanctus qui, est veluti vinculum, & nexum Patris, & Filij.

Ioan. I.

Porro in nomine Iehouah litera He, quae est veluti symbolam, ac signum Verbi diuini secundae personae in Trinitate beatissima, ponitur bis; videlicet secundo, & quarto in loco: quare nihil mirum est, si significetur mysterium, quod est in Filio, nimirum in eo esse duos respectus, vnum ad Patrem, cuius est Filius; alterum ad Spiritum sanctum, cuius est vna cum Patre spirator; vel duas esse in illo naturas, ex quibus, & in quibus subsistit, diuinam & humanam. Est enim Deus & homo. Quinto, nomen Iehouah, teste eodem Galatino, quod etiam tradit Vatablus, ab antiquis Hebraeis dicebatur Sem hamphoras, id est, nomen expositum, quia exponi solebat nominibus duodecim; & nominibus quadraginta duarum literarum. Itaque si haec nomina Latina, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; conuertantur in nomina Hebraica, efficiunt nomina duodecim literarum, vt habent Galat. libro secundo, cap. vndecimo. Vatab. Exod. 18. Si haec iidem nomina Latina, Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, Trinitas in vnitare, & vnitatis in Trinitate conuertantur in nomina Hebraica, faciunt nomina quadraginta duarum literarum, vt legere licet apud Galat. libro secundo, cap. duodecimo. & Vatabl. Exod. vigesimo octavo. Et certe Iesus Christus Dominus noster Ioan. 17. dixit: *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo,* hoc est, manifestum feci Trinitatis arcanum, videlicet quod in Deo sit Trinitas personarum, & vnitatis naturae sine essentiae, videlicet, Pater sit Deus; Filius sit Deus, Spiritus sanctus sit Deus: & quod haec tres personae non sint tres Dij, sed vnus Deus. Sexto ante Incarnationem Verbi diuini nomen Dei tremendum erat: nam dum Verbum erat in sinu Patris, de eo dicebatur in Psal. 93. *Deus vltionum Dominus; Deus vltionum libere egit.* Vbi pro illo Libere egit, in Hebraeo habetur: *Magnifice & splendide apparuit,* hoc est, palam in omnium oculis iudicia sua exercuit, prout voluit, nemine prohibente; quippe cui nemo vnquam resistere potuit. Et Psal. 15. *Conspexit,* ait Propheta, *potentiam arcum, scutum, gladium, & bellum.* Psalmo item 96. *Ignis ante ipsum praecedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius:* quasi dicat: vti solet Deus, tamquam satellitibus suis, igne, fulguribus, & fulminibus, quibus perterrefaciat & consumat inimicos suos, & in Psalmo 75. *Terribili, & ei qui auferit spiritum principum, terribili apud reges terra.* Hebraea lectio habet: *Vindemia spiritum principum.* Idem est ac si diceret: *Qui tam facile principum & potentium vitas, & animas tollit, quam facile homo racemos amputat, & colligit è vitibus.* Ac postquam in vtero B. Virginis descendit Deus, pacata sunt omnia quae in caelis; & quae in terris sunt, postquam ex vtero Virginis prodijt, placata est ira Patris, gratia est in omnes abundanter effusa; factus est Deus nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Collecti sunt maturi fructus, hoc est, Iusti ex inferis, vbi detinebantur, educti, & in caelum euecti: Quemadmodum corporalis hinc Mundi Sol cum est in signo Leonis, ardore, & aestu nimio seruet, exurit, exsiccat: ac postquam in signum Virginis intrat, Aurum adducit, in quo vindemia fit, fructus arborum colliguntur, mitiores, benignioresque sunt caeli ca-

Ioan. I.

Psal. 93.

Psal. 27. 96.

Psal. 75.

1. Cor. II.



lores, & omnia tandem quasi iusta libra, & trutinā ponderantur. Sic dum verbum erat in sinu Patris, quasi ardebat, exurebat, exsiccabat, hoc est, increpabat, flagellabat, puniebat, occidebat: at postquam intrauit in uterum Virginis Saluator & redemptor est, Christus est, id est, totus vitione plenus, non vltor, non vindex, sed tanquam agnus mansuetus. Septimo conuenit eum nomine Saluatoris id, quod sponsa dicit in Canticis: *Oleum effusum nomen tuum*. Olim hoc nomen erat veluti effusum in caelis, latebat in Prophetis, & Scripturis, at Christus Dominus cum in credentium animos doctrinam, & gratiam, vim suam effudit per incarnationem, cepit Saluatoris nomen in Virginis utero effundi: sed ibi rursus inclusum, principio in vasculo humani corporis intra fuit, ac limites Synagoga, mox aliquem odorem foras emisit, & exiguum line, & Gentibus ignotum. Post ea ad crucis lignum confectum est vasculum, id est, humanum Christi Domini corpus, concisus est saecus pretiosi & diuini purissimatis, & per Apostolicam praedicationem, totum terratum orbem repleuit, & de plenitudine gratiae eius acceperunt omnes Gentes, & in nomine Iesu omne genua flectitur, caelestium, terrestrium, & inferorum. *Quis non sit aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Acque ita factum est, ut nomen Iesu sit oleum effusum. Oleum potissimum habet virtutes sex: est misericordiae symbolum, pacis & victoriae signum: foveat infirmos: sanat vulnera: lucens lumen ministrat: & omnibus liquoribus supernaturat, ac supereminet. Iesus Christus est auctor pacis, misericordiae, & victoriae nostrae: nos in Dei gratiam restituit: nos infirmos verbo & opere fouit: nostrorum peccatorum vulnera curauit: suae doctrinae miraculis & signis lumen Euangelicum in terris accendit: omnibus sanctis Angelis, & hominibus gratia, sanctitate, & gloria praecellit: nam sedet ad dexteram Patris tanto melior illis effectus, quanto differentius praeter illis nomen hereditauit. Praeterea nomen hoc ineffabile in tribus hominibus, ut in typo, & figura praecessit in Ioseph, qui Hebraeorum populum ex Aegypto per Moysen mirabiliter eductum in Terram sanctam, & promissam Patribus introduxit *Ioseph 13 & 18*. In Iesu summo Sacerdote filio Ioseph; *Zachar. 1. & Aggai 1*. cuius monitu & suaditione reedificatum est templum, quod fuerat à Chaldeis euertum: In Iesu filio Siraeh, qui fuit Propheta, & Doctor sapientissimus. Primus eorum Iesus adumbravit Christum Dominum, qui omnes electos ex inferis, qui iacebant in tenebris, eruitos introduxit in caelestem patriam & gloriam. Secundus quoque fuit typus, & figura Christi, qui est summus sacerdos secundum ordinem Melchisedech constitutus: quinque Euangelicae Ecclesiae templum extruxit. Tertius etiam Christum typice representauit: fuit enim Christus propheta magnus potens opere, & sermone: fuit vitae magister, & doctor de caelo datus, & missus in mundum, ut sui Euangelij doctrina totum terratum orbem imple-ret.

Cant. 1.

1. Phil. 2.

Act. 4.

Heb. 1.

Ios. 13. 18.

Zach. 1. Agg. 1.

Pf. 109.

Luc. 7. Inf. 24.

Esa. 7.

Isa. 1.

Idem 60.

Obijcies, *Esa. 7.* praedictum esse, Christum vocandum Emmanuel, id est, Nobiscum Deum: Quomodo igitur ille nunc vocatus est Iesus, non Emmanuel? Ad hoc responderunt olim Patres quidam Iustinus Martyr *Questionibus ad Orthodoxos, questio. 121.* Tertullianus *lib. aduersus Iudaos, & lib. 3. contra Marcionem*, Lactantius *libro quarto de Vera sapientia cap. 12.* Chryllostomus *libro de Incarnatione. ca. 2.* Prophetam declarare voluisse quinam futurus esset Christus, non qui vocandus: noluit enim dicere Propheta, fore ut proprium Christi nomen esset Emmanuel, sed ut res eo nomine significata illi conueniret.

Quemadmodum idem *Isaias cap. 1.* dicit de Hierusalem: [Post haec vocaberis ciuitas iusti, verbus fidelis:] non quod eo nomine esset, ut merito ita vocari posset. Et *cap. 60.* ait: [Vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israel,] cum nunquam eo nomine vocata sit. Et *cap. 9.* dixe-

rat de Christo fore, ut vocaretur nomen eius Admirabilis, Consiiliarius, Deus, Fortis, Princeps pacis: Pater futuri saeculi: non equidem quod tot nomina, sed quod tot res ille habiturus esset.

C A P. XI.

De die festo Epiphaniae.

Primo quaeritur, Quam antiqua sit annuersaria huius diei festi celebritas, merito creditur esse ab Apostolis instituta: nam eius memoriae Clemens Romanus *lib. 5. Constituitur. Apostol. cap. 12. & lib. 8. cap. 33.* Necessitate legis seruatur, ut pater iure communi, *c. pronuncianum de consec. d. 3. & c. conquestus de foris.*

Secundo quaeritur, Quam Magi fuerint, à quibus adoratus est Christus: Ratio dubitandi est, quia *Matthaeus cap. 2.* eos Magos appellauit. Magorum vero tria sunt genera, nam alij dicuntur Magi, quos Latini vocant Praestigiatores: qui ceteris quibusdam artibus, ingenio, & industria, rerum species & figuras inmutant, ut aliae esse videantur: quales Magos, delusores vocamus: qui manuum quadam dexteritate faciunt, ut res aliae appareant, quam reuera sunt: vnde praestigiae accipiuntur pro quauis fraude, & impostura, siue fallacia. Alij dicuntur Magi, qui diabolicæ, non magiæ naturalis ministerio vtuntur; de quibus *Leuit. 19. & 20. & Act. 8. & 13.* Postremo, alij sunt Magi, qui inspectione siderum, quaedam futura praedicunt, & sagacitate naturæ multa somnia interpretantur, & magiæ naturalis arte multa sciunt, & efficiunt.

Nonnulli ex Patribus videntur significasse, Magos, qui Christum in incunabulis adorante, fuisse praestigiatores, siue maleficos. *Augustinus serm. 2. de Epiph. Praeualat, inquit, imperitia in rusticitate pastorum, & impietas in sacrilegijs Magorum.* *Origenes libro primo contra Celsum*, Magos interpretatur, qui cum daemouibus commercium habet, eosque ad artes suas, & operationes inuocare solent. Et subdit: viso in caelis prodigio, hos Magos suis incantationibus vfos fuisse; ut quid significaret, intelligerent. Daemones autem iam à Christo superatos conticuisse, indeque Magos coniectasse, hominem, qui per stellam significabatur, potentiorum esse daemouibus; & ideo ad eum adorandum profectorem suscipere decreuisse. Idem fere tradit *hom. 13. in Numeros*, & Basilus ab hac sententia non videtur esse alienus *homil. de Humana Christi generatione*, & Iustinus Martyr *in Dialogo contra Tryphonem* ait: [Magi enim, quos daemou sibi vendicarat ad omnia maleficia, postquam venerunt ut adorarent Christum, videntur ab illo defecisse, in huius potestatem rediit. Idem sensisse videtur *Ignatius epist. 14. qua est ad Ephesios* vbi dicit: *de stella, quae Magis apparuit. Hinc, inquit, euauit mundi sapientia, praestigia facta sunt nuga, magia risus, omnis ritus malitia abolitio.* *S. Thomas 3. par. quest. 36. articulo 3. ad secundum*, videtur praedictum Augustini testimonium approbasse. Communis est sententia, non fuisse primi, aut secundi generis, sed tertij, nimirum sapientes Astrologos. *Cyprian. Serm. de stella, & Magis*, Anselmus *in Matth. c. 2.* Auctor operis imperfecti *in Mattheum sub Chryllostomi nomine, hom. 2.* *Isid. lib. de Pass. Domini, c. 14.* Rupertus *c. Matthei secundo* vocat eos sapientes Gentiles, *Leo serm. 4. de Epiphania*, dicit: *Gens, qua spectandorum siderum arte pollebat.* Reuera haec sententia est tenenda: nam Magorum in primo, aut secundo genere nomen apud omnes gentes est infame. Sed *S. Mattheus* Euangelista, sapientes honoris causa Magos appellauit. Huc accedit, quod apud Persas Magi idem sunt qui sapientes, uti apud Graecos Philosophi, apud Hebraeos in Italia Aruspices, apud Indos Gymnosophistae, apud Babylonios Chaldaei, apud Aegyptios Hierophantae, apud Gallos Druidae: ut *Cicero libro 1. de diuinis*, & *Strabon lib. 16.* crediderunt. Ergo cum Mattheus dixit, Magos ab Oriente venisse, significare voluit, eos esse sapientes Astrologos, quales erant in Oriente.

Tertio

Tertio quaeritur, Quot Magi fuerint? Calvinus haereticus ridet Catholicos, quod tres tantum fuisse credant, inde et totum fumentes, quod tria fuerint munera, quasi singuli singula, non cuncti cuncta communiter obtulerint. Ipse vero quatuordecim fuisse putat, nescio quo ad id adductus Auctore. Auctor operis imperfecti in Matthaeum ex apocrypha quadam scriptura, quam suo tempore nomine Seth extitisse dicit, duodecim fuisse testatur. Serabius *Matthaei secundo* eos plures fuisse tradit. Recepta est sententia, eos fuisse tres. Sic enim Augustinus *serm. 29. Et 33. de tempore. Leo sermone 1. 4. 5. 6. 7. Et 8. de Epiphania.* Rupertus in *Matth. 2.* & meo iudicio, traditio est Ecclesiastica ab Apostolis accepta, eos tantum fuisse tres: hic enim fuit semper communis Ecclesiae sensus, & antiquissima picturae usus.

Quarto quaeritur, Quibus nominibus fuerint hi tres Magi appellati? Beda in *collectaneis non longe à principio*, horum Magorum nomina, & aetatem, & vultus describit. *Primus*, inquit, dicitur fuisse Melchior, senex, cy cantus, barba prolixa. *Et capillis, aurum obtulit regi Domino. Secundus nomine Gasspar, iuuenis imberbis, rubicundus, thuris, quasi Deo, oblatione, Deum honoravit. Tertius fuscus, integre barbatus, Balsamum nomine, per myrrham, filium hominis moviturum professus est.* Si quaeras unde Beda haec accepit? Puto eundem ego ex Ecclesiastica eum tantum virum traditione didicisse.

Quinto quaeritur, An Magi fuerint reges? Beza homo haereticus, & Calvini discipulus, in Annotationibus ridet Catholicos, quod reges eos fuisse credant, & quod locum *Psal. 71.* male de illis interpretentur, *Reges Tharsis Et Insulae muneribus offerent:* quod ex Oriente, & Occidente Orientem fecerint. Poeta Christianus, Mantuanus, in *Fastis:*

*Nec reges (inquit) ut opinor erant.*

At enim recepta est in Ecclesia sententia eos fuisse reges. Sic habet Tertullianus *lib. 3. contr. Iudeos cap. 9. Et lib. 3. contra Marcionem.* Cyprianus, in *sermone de Baptismo Christi*, Hilarius *lib. 4. de Trinitate.* Basiliius *homil. de Humana Christi Domini generat.* Chrysostr. *homil. sexta in Matthaeum.* Hieronymus in *Psalum vigesimum primum.* Augustinus, aut certe vetustus Auctor, qui quis ille fuit, operis, de *Mirabilibus sacrae scripturae lib. 3. cap. 41. Ildor. lib. de Passion. Domini cap. 15.* Theophylactus, Beda, Serabius, & Anselm. *Matth. 2.* Qui quidem omnes Patres, illud *Psalmi 71. Reges Tharsis Et insulae muneribus offerent, reges Arabum. Et Saba dona adducent,* illud item *Isaia 60. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, Et reges in splendore ortus tui,* de regibus Magis interpretantur: non quod reges Tharsis Occidentales, vel Meridionales fuisse crediderint, ut nugatur Beza, sed pro quibusvis Gentium regibus: quae exempli loco, vel per Synecdochen pro parte totum à Davide positos esse putaverint. Atque eodem sensu Ecclesia in die Epiphaniae illum *Psalmi* locum vsurpat: nam consuevit intertum, quae de una persona dicta sunt, ad aliam propter similitudinem, prudenter accommodare. Non ignorat Ecclesia, quod scriptum est, *Luca 10. Maria optimam partem elegit.* Et de Maria sorore Lazari dictum esse: sed ad Christi Matrem in die festo, quo in caelum assumpta est, apte & sapienter accommodat, quia ipsa est vere Maria, & vere optimam partem elegit. Id etiam Davidicum: *Spaciosa forma praesentis hominum. Dissipa est gratia in labiis tuis. Dilixisti iustitiam, Et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae praesentibus tuis:* in die festo cuiuslibet Virginis ad ipsam Virginem refert. Sicut & illud Ecclesiastici: *Non est inuentus similis illi, qui conservavit legem excelsi:* in die cuiuslibet sermone Confessoris Pontificis adhibere consuevit. Et certe Magos fuisse reges, non pauca, nec leues coniecturae sunt in ipso Matthaei Euang. Nam si privati homines erant, cur Herodes rex tam honorifice excepit illos? Cur idem se etiam adoraturum Regem Iudaeorum Christum esse professus est? Profecto Orientales reges consuevere natum novum regem, eius adorandi gratia iter suscipere: si privati homines erant, cur

auti sunt coram tyranno Herode cum tanta libertate, & fiducia, atque etiam periculo suo profiteri legitimum Iudaeorum regem natum esse? Cur ab Herode statim, ut venerunt, comprehensi non sunt & necati? Cur a pertis thesauris suis obtulerunt munera, aurum, thus, & myrrham? Sed cur Evangelista, inquit eos reges non appellavit? Dicam & ego: Cur Auctor libri Iob eius tres amicos non vocat reges: & tamen Auctor libri Tobiae eos reges appellat? Sane Matthaeus Magos potius, quam Reges, quamvis vtrumque essent, maluit appellare. Voluit enim tacitam rationem reddere, cur ex stella Christum cognovissent, hoc enim Magorum, & sapientum fuit, non Regum, cognoscere, & coniectare.

Sexto quaeritur, Unde nam Magi venerint ad Christum adorandum? Num illud est certum, & exploratum, eos ex Oriente venisse: id enim Matthaeus expressit capite secundo Evangelij sui. Sed duo tamen vocantur in dubium: Primum, An venerint ex partibus Orientis longe à Iudaea remotis? S. Thomas *3. par. q. 36. art. 3.* tamquam dubium reliquit, sed verba Matthaei magis indicant, eos venisse ex partibus remotis, & longinquis. *Vidimus*, inquit, *stellam eius in Oriente.* Leo *sermone secundo de Epiphania:* Hunc, inquit, *Principem natum longinqua Orientalium Gentium nationes insolito non sideris splendore didicerunt, & Serm. 3.* Magos vocat remotioris Orientis habitatores. Et *Serm. 4. Gens*, inquit, *in longinqua Orientali plaga regione consistens. & Serm. 5. Hoc autem signum, quod Magos in longinquo posuit efficaciter movit. Serm. 6. A remotissima Orientis parte venerunt.* Eodem modo loquitur Chrysostr. in *Matthaeum.* & Ambrosius in *Lucam 2.*

Alterum dubium est, ex qua Orientis regione Magi venerint? Tres sunt opiniones. Prima est dicentium eos venisse ex Arabia Felici, sic Iustinus in *Dialogo contra Tryphonem*, Tertull. *lib. contra Iudeos, Et lib. 3. contra Marcionem*, Cyprianus in *Sermone de stella Et Magis*, Epiph. in *Epitome.* & quia Arabia ad Palaestnam inter Orientem, & Meridiem sita est: & regiones mediae nunc Orientales, nunc Meridionales appellari solent: ideo regina Saba, regina Austri, id est, Meridionalis dicta est. *Matth. 12. Et Luca 11. Mori sunt hi Auctores testimonio Davidis, qui in Psalm. 71. ait: Reges Arabum, Et Saba dona adducent:* & ipsa quoque munera, quae Magi obtulerunt, videntur patriam prodidisse. Nam rota Arabiae ityrrha & auro, & Sabzarum regno thure, & alijs odoribus abundare dicitur. Unde & Feliciae Arabiae nomen promeruit.

Alter opinio est, Magos fuisse Chaldaeos, & ex Chaldaea venisse ad adorandum Dominum. Ita Chrysostr. *hom. 6. in Matthaeum.* & Serabius *Luca 2.* Horum potissimum argumentum est, quia neque ex Perside, neque ex Arabia tredecim dierum spatio in Iudaeam venire poterunt. Deinde quia Balaam, cuius successores Magi fuisse creduntur, Chaldaeus fuit. Huc accedit, quod Magorum sapientia apud Chaldaeos maxime floruisse fertur. Haec tamen sententia non videtur cum Evangelio convenire. Nam et si Chaldaea media est inter Septentrionem, & Orientem ad Palaestnam; Scripturae tamen consuetudo est, ut Septentrionalis vocetur, iuxta illud Hierem. *1. 4. Et 25. Ab Aquilone pandetur omne malum.*

Tertia sententia est eos fuisse reges Persicos, & ex Perside venisse. Sic Chrysostr. *homil. 7. in Matthaeum:* Auctor operis imperfecti in *Matthaeum homil. 2.* Cyrill. Alexandri. in *Isaiam lib. 4. Orat. 4.* Iuvenius poeta, Theophylactus *Luca 2.* Haec sententia videtur esse communis, & magis ad veritatem accedere, & habet coniecturas plures, & maiores. Nam in primis, ipsum nomen Magorum, non Chaldaicum, sed Persicum est: & Persicus mos fuit, ut reges adorarentur, & non sine munere, ut eius gentis Scriptores tradiderunt. Illa etiam verba Evangelistae: *Ab Oriente venerunt, Et vidimus stellam eius in Oriente;* indicant regionem unde venerunt, remotiorem esse à Iudaea, quàm sit Arabia. Nec mirum videri debet eos sapientes tredecim duntaxat dierum spatio venisse in Iudaea: quia credibile est, eos

Psal. 71.

Isa. 60.

Psal. 44.

Ecl. 44.



non ex vltimis & remotissimis, sed ex proximis Perfarum finibus venisse, qui ab Hierosolymis vix vltra ducentas leucas distare dicuntur: verisimile item est eos camelis, & dromedarijs tanto in itinere vfos esse, qui quamuis onerati, quadraginta quotidie leucas conficere perhibentur. Præterea, quia Arabia Felix, quæ auro, thure, & alijs odoribus abundat, vicina est Persidi: ideo Magi, quamuis Reges Persici, in thesauris suis aurum, thus, & myrrham detulerunt.

Septimo quaeritur, Quando nam Magi venerint? Singularis Epiphanijs sententia fuit in *Hæres. 30. & 51.* Magos duobus annis post Christum natum venisse ad eum adorandum. Id probat, quia *Matthæus cap. 2.* dicit: *Herodes occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, à bimatu, & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Idem ante eum sensit videtur Euseb. in *Chronico.* Verum communis sententia est, & videtur esse Ecclesiastica traditio, die decimotertio post natum Christum eos venisse. Sic Augustinus *Serm. 1.2. & 3. de Epiphania.* & Leo in *sermionibus de Epiph.* Profecto *Matth. ca. 2.* videtur significasse, non multis post diebus venisse Magos, cum ait: *Cum natus esset Iesus, ecce Magi ab Oriente venerunt:* vbi connexio verborum, & particula (Ecce) indicant post Christi ortum statim Magorum aduentum secutum fuisse. Deinde certum est, Ioseph, & Mariam non mansisse in Bethleemico oppido vltra quadraginta dies purificationis, qui ex lege præscripti erant *Leuit. 12.* vtrifere *Luc. ca. 2.* statim venerunt Hierosolymam, vt viderent puerum Domino: & impletis, quæ erant Legis de purificatione, redierunt in Galilæam: Magi autem Christum in Bethleem inuenerunt, & adorauerunt *Matth. 2.* ergo ante quadagesimum à Natali Christi diem Magi venerunt. Quod autem Epiphanius ait, Ioseph, & Mariam singulis annis eo die ex Galilæa in Bethleem venire consueuisse: cumq; post duos annos rediissent Bethleem, Magos ibi eos inuenisse, & puerum adorasse, credibile non est.

Quid ergo illud est, dicit aliquis, quod ait Euangelista, Herodem occidisse pueros à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis? Respondent aliqui teste Sancto Thom. *5. pars. quest. 30. art. 6. ad tertium,* Herodem alijs curis, & negotijs implicatum, præsertim cum profectus esset Romam ad Cæsarem, necem infantium vsque ad biennium distulisse. Sed hoc incertum est, quamuis reuera Herodes fuerit multis negotijs distentus. Fortassis impius rex distulit infantium necem post aliquot menses, nam ad duos annos, tamdiu scilicet, distulisse, probabile non videtur, cum *Matthæus cap. 2.* dicat: *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis.* Vbi particula (*tunc*) quamuis non significet punctum temporis, quasi statim, vt Magi discesserunt, infantes occiderit, excludere tamen videtur longum temporis spatium. Nam inter Magorum discessum, & puerorum cædem aliquantum temporis intercessisse necesse est, & quia vigesimo septimo post adorationem à Magorum die, puerulus est in templo oblatum Hierosolymis, vt refert *Luc. ca. 2.* & quia credibile est Herodem quamuis cruentum & crudellem tyrannum, prius tentasse an Christum inuenire posset, vt eum necaret, quod sine aliquanto tempore fieri non potuit: ergo particula (*tunc*) significat aliquantum tempus, non longum, vt vult Epiphanius.

Quod autem necari iussit pueros Herodes à bimatu, & infra, id fecit præ timore, & vt securus rem ageret. Vnde Chryostomus *homilia septima in Matthæum* sic ait: *Quod à biennio, & infra interfecit, ne mireremur: siquidem paucor, & furor maioris securitatis, & certitudinis causa etiam tempus prætere, ne quisquam eius astutus, & forte is potissimum, propter quem alij interimuntur effugiat.* Et Augustin. *lib. 2. de consensu Euangelista. ca. 1.* dicit timuisse Herodem, ne cui sidera famulabantur, speciem suam paulo supra; vel infra ætatem transformaret.

Quæres, Quotus dies hebdomadæ erat, quando Christus est adoratus à Magis? erat sexta feria, quia vt superius dixi, natus est Christus die Dominico, & Magi venerunt

decimo tertio die à Natali Domini: ergo fuit dies Veneris, in quo Magi Christum adorauerunt. Obijces, in Concilio sexto Generali Patres in Decretis *ca. 8.* dixisse, die Dominico Christum natum fuisse, & eodem die adoratum à Magis. Respondeo, Patres ibi non dicere, die Dominico Magos Christum adorasse; sed die Dominico Christum fuisse natum, & in eodem Dominico die stellam Magis apparuisse: quod verum esse confitemur; quia eodem die, quo Christus est ortus, stella vita est à Magis in Oriente.

Octavo quaeritur, Quando nam ex patria sua profecti sint Magi, Christum Dominum adoraturi? Augustinus *serm. 7. de Epiphania* dicit stellam Magis apparuisse in Oriente biennio antequam Christus nasceretur, & paucis post diebus profectos fuisse, & 13. die post Natalem Christi peruenisse Bethleem. Et hoc esse, quod dicit *Matthæus*: [Occidit pueros à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.] Idem ait Chryost. *homil. 7. in Matthæum*, Theophylactus *Matth. 2.* & Nicephorus *lib. 1. cap. 13.*

Communis est, & recepta sententia, stellam visam esse à Magis eadem die, qua natus est Christus: hoc enim significare videntur ipsa verba Magorum, aientium. *Vidimus stellam eius in Oriente:* quasi dicerent, quæ illum natum esse significabat: & illa: *Vbi est qui natus est Rex iudeorum?* quasi ex stella non nasceretur Christum, sed iam natum esse certo cognouissent, & ipsemet Augustinus, qui *serm. 7. de Epiphania* dicit biennio ante ortum Christi stellam Magos vidisse, *serm. 4.* de eodem die festo suam sententiam corripit, dicens: eodem die, quo Christus est natus, stellam Magis in Oriente apparuisse. Illud porro: *Occidit pueros à bimatu & infra;* nihil facit pro prima sententia. Et quamuis multi putent, occisos esse omnes pueros, qui nati erant duobus annis postquam stella apparuerat: videtur tamen Strabi & Buthymij interpretatio probabilior, Herodem interemisse omnes pueros, qui nati fuerant duobus annis antequam stella appareret. Id si ita est, inquis, cur ergo duobus annis ante & non post. Respondeo: quia non erant duo anni post, sed pauci dies; vel menses, vt supra dixi. Item Magi non nascerentur, sed iam natum esse Christum affirmarunt, ac quanto ante tempore iam notus esset, neque fortasse ex stella, nec alunde sciebant: stella enim iam natum quidem, sed non quando iam natus esset, significabat. Voluit igitur Herodes cautionis, & securitatis causa omnes infantes necare, qui duobus annis antequam stella apparuisset, nati essent: sicut non solum eos, qui in Bethleem; vbi Christum sacerdotem nasciturum esse dixerant, sed etiam omnes, qui in omnibus finibus eius nati essent, peremit Rex crudelissimus: ita vt non solum loco, sed etiam tempore, plusquam necesse erat, crudelitatem extendit, & ne forte erraret, errorem auxit infelix.

Nono quaeritur, Quo loco Magi Christum inuenerint, & adorauerint? singularis quoque est Epiphanijs sententia *locis supra citatis*, Magos non inuenisse, & adorasse Christum in spelunca, siue in stabulo, & præsepi, vbi natus & reclinatus est, sed in domo quadam priuata oppidi Bethleemici: eo quod *Matthæus capite secundo* dixit: *Intrares domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Verum sententia est communi Patrum consensu recepta, Christum inuentum, & adoratum à Magis fuisse in eodem loco, in quo & natus est. Ita Hieronymus *epist. 18. & 27.* vbi sic loquitur: *Hinc demonstratus est stella, hinc adoratus à Magis.* Chryost. *homil. 6. in Matthæum:* *In præsepi,* inquit, *& tugurio, & homil. 1. ex varijs in Matthæum locis, & oratione de S. Philogonio:* *Accurrunt, vt illum videant in præsepi iacentem.* Nyssenius in *orat. de sancta Christi natiuitate:* *Regem in spelunca latentem non ignorauerunt.* Cyprianus *Serm. de stella & Magis:* *In loco humili, & suppellectili vili, Rex regum, & Dominus dominantium inuenitur, nascitur, adoratur.* Idem profus dicunt Augustinus, Leo, Fulgentius in *sermionibus de Epiphania.*

Illud vero *Matth. 2. Et intrantes domum, inuenerunt puerum & c.* recte interpretatur Euthymius: *Tugurium hic domum appellat, quod Lucas diuersorium dixit. Domus enim erat, quae utcumque habitaretur.* Dices, cum Magi uenerint decimo tertio die post Natalem Christi, credibile est Beatam Virginem una cum sponso, & Filio ex diuersorio migrasse in aliquam domum Bethleemiticam. Respondeo, Beatam Virginem à loco partus non discessisse usque ad diem Purificationis: quia mulieres quae pepererant, sese in loco partus continebant, donec ad quadragesimum diem egrederentur, & se in templo purgarent, iuxta legis diuinæ præscriptum.

Decimo quæritur, An singula Magorum singula tantum munera obtulerint? videlicet vnius aurum, & tertius myrrham: an vero potius quique eorum obtulerit aurum, thus, & myrrham? Quidam, aiunt, vt est Auctor Historiæ Scholasticæ in *Historia Euangelica, ca. 8.* singulos omnia obtulisse: iude comprobantes, quod singuli fidem suam in Christum uidentur professi, quia eum Regem, qui simul esset Deus & homo crederunt. Abj vero putant, singula dumtaxat munera obtulisse. Strabus vt incertum id, & dubium reliquit. Quibusdam iunioribus credibilis uideatur eos obtulisse diuersa, quam eadem omnes: hoc enim est magis uisatum, & gratius esse solet accipientibus, & honorificentius dantibus. Alijs uero recentioribus magis placet, singulos aurum, thus, & myrrham dedisse: quia singuli suis muneribus, ut paulo ante dixeram, fidei, & religionis in Deum professionem suam declarant.

Vndecimo quæritur, An oblatio munerum mystica tantum fuerit, an uero etiam historica seu litteralis? hoc est quæritur, An Magi munera obtulerint fidei suæ, & religionis mysterium declarantes, an uero etiam propter historiam narrationem? Certum est, nequid dubitandum, munera Magorum, fidei mysterium continere: nam quid tradiderunt communiter veteres Patres: Irenæus *lib. 3. cap. 10.* Cyprianus in *sermone de stella, & Magis.* Origenes *lib. 1. contra Celsum.* Basiliius *homil. de humana Christi generatione.* Chrysostr. *1. de uariis in Mattheum locis.* Ambrosii *lib. 1. de Fide, cap. 2.* Augustinus *serm. 2. & 3. de Epiphania.* Hieronymus in *Mattheum 2.* Iuuenius, & Sedulius, ac Prudentius in *uisu Carminibus.* Theophylactus, Euthymius, Beda in *Matth. 2.* Bernardus *serm. 2. & 3. de Epiphania.* Nihilominus tamen idem Bernardus, *serm. 3. de Epiphania* historicum & sacerdotale litteralem sensum in muneribus Magorum agnoscit: Pura aurum datum esse Christo tanquam pauperi, siue propter matris paupertatem, thus, ad fœderem stabuli mitigandum, myrrham ad consolidanda infantilia membra. Sunt qui dicunt, talia munera Magos dedisse Domino: quia obtulerunt ea secundum patrium morem. Orientales enim, eam abundant auro, thure & myrrha, talia solent munera offerre. Profecto quamuis munera Magorum possint secundum historiam & litteram intelligi: dubitandum tamen non est, quin ea mystica fuerint, ita ut aurum Christo obtulerint, tanquam regi, & thus tanquam Deo & sacerdoti, & myrrham tanquam homini morituro: & in his muneribus quandam fidei suæ professionem fecerint diuinitus illuminati: in auro, Regiam Christi potestatem cognoscendo: in thure diuinitatem & sacerdotale auctoritatem: in myrrha, mortalem carnem susceptam: qui enim tale mysterium in huiusmodi oblatione contineri negauerit: sentiet ille, & temere quidem, & impie, contra Sanctorum Patrum sententiam. Possunt etiam mystice in auro intelligere reginam omnium uirtutum charitatem: in thure, piam, & religiosam orationis studium: in myrrha, carnis, & sensuum castigationem; hæc enim tria Deo offerre debemus, si pie, sobrie, & iuste uicere cupimus.

Duodecimo quæritur, Vbi nam Magi stellam uiderint? Ratio dubitandi est, quia S. Mattheus *cap. 2.* refert eos dixisse, se uidisse stellam eius in Oriente. Duplex tamen sensus esse potest: aut eos cum in Oriente essent, stellam in Occi-

cidente apparentem uidisse: aut uidisse stellam, quæ apparuisset in Oriente. Auctor libri de Mirabilibus factæ Scripturæ *li. 3. c. 4.* scribit stellam non in Oriente, sed in Occidente uisam Magis. Strabus *Matth. 2.* utrumque, sub dubio reliquit.

Sed dubitandum non est, quin ea primum in Oriente Magis apparuerit, & deinde illis uix dux fuerit. Cui enim dicunt: *Uidimus stellam eius in Oriente, &c.* non tam ualde, quam qua ratione permoti uenerint, dicere uoluerunt, quod stellam nimirum eius uiderint. Ita ut sensus sit, stellam in Oriente apparuisse, ac propterea eos iter suscepisse. Huc accedit, quod Euangelista ait, stellam antecessisse Magos, postquam Hierosolyma eierunt, usque dum ueniens staret supra ubi erat puer: ergo credendum est idem eam ante officium de Oriente usque in Occidentem præstitisse.

Decimo tertio quæritur, Quo modo ex stella Christum natum Magi cognouerint? Auctor operis imperfecti in Mattheum, historiam quandam apocrypham, refert: videlicet in stella uisam esse imaginem pueri, qui Magos allocutus, Christum natum esse docuerit, & ut eum adoraturi proficiscerentur, imperauerit. Sed hæc ut historia apocrypha indignaque fide rejicitur. Petrus Alliaccensis *q. 30. in Genesim* censet, eos ex naturali stellarum scientia conijcere potuisse, Christum natum esse. Id probat, quia Magi dixerunt: *Uidimus stellam eius in Oriente:* & quia Hieronymus dixit *Isaia 47. prope finem: Magi de Oriente uenerunt. Domini stellam se cognouisse dicentes, uel ex artis scientia, uel ex uaticinio Balaam propheta sui.* Et quia similia uerba dicit Auctor libri de Mirabilibus Sacræ Scripturæ *li. 3. ca. 4.* Profecto hæc Alliaccensis opinio omnino falsa est, & Hæreticorum innititur fundamento. Priscillianistæ enim putauerunt, quemque ortus sui stellam habere; qui sæpe de hac re ab Augustino, Chrysostomo, Leone, & Gregorio reprehenduntur. Adde, quod Christi conceptus, & ortus supernaturali uirtute factus est: ergo stella nullo modo potuit esse fatale, & naturale indicium Christi Domini. Porro illud: *Uidimus stellam eius in Oriente;* non significat, puerum ortum esse propter stellam, sed potius stellam exortam esse, & apparuisse propter puerum demonstrandum. Ad id uero, quod ex Hieronymo, & Auctore libri de Mirabilibus sacre Scripturæ affertur contra nos: Respondetur, eorum Patrum sensum esse, potuisse Magos ex naturali siderum scientia cognoscere eam stellam, nouum quid esse, & aliquid generatum protendere: non autem speciatum puerum natum esse.

Hoc igitur Magi illi sapientes aliunde didicerunt. Hieronymus *Isaia 19.* putat, stella apparente, Magos à Dæmonibus edoctos fuisse, id illa stella significati: adiuti enim à Dæmonibus, responderunt, Christum natum esse. Idem scribit Origenes *lib. 1. contra Celsum.* Augustinus in *sermone de Epiphania* insinuare uidetur, eos Angelorum ministerio adiutos, puerum cognouisse. Leo *Sermone 1. de Epiphania* ait, interno Spiritus sancti afflatu Magos edoctos fuisse. Idem dixerat Augustinus *Serm. 34. de Tempore.* Communis est Patrum sententia, Magos ex uaticinio Balaam iam diu cognouisse, Christi stellam orienturam. Num. 24. *Orietur stella ex Jacob.* Magos enim, aut posteros fuisse Balaam, aut ex eius posteris, qui vicini fuerunt, ac proinde eos illam prophetiam, aut traditionem accepisse. Sic Origenes *lib. 1. contra Celsum, & homil. 13. & 18. in Librum Numerorum.* Basiliius *Homil. de humana Christi generatione.* Cyprianus *Sermone de stella, & Magis.* Hieronymus in *Isaia cap. 47.* Nyssenus de *sancta Christi Natiuitate.* Ambrosius *lib. 2. in Lucam, cap. de Magis.* Auctor operis imperfecti in *Matth. homil. 1.* Theophylactus, Euthymius, Anselmus in *Mattheum 2.* Chrysologus *Serm. 156. & 157.* Isidorus de *Pass. Domini cap. 13.* Obijcies in illa prophetia Balaam, stellam Christum ipsum appellari, cum ea stella ex Jacob Patriarcha orientura dicitur? Respondeo, hoc nihil referte: in illo enim uaticinio, CHRISTVS ipse dicitur stella; & stella, illo nascente orientura, dicitur etiam Christus; non quod reuera esset Christus, sed quod

Nu. 24.

effect

esset signum, & figura Christi. In prophetis enim solent eodem nomine vocari res per eas significatæ, & figuræ ipsæ.

Decimoquarto quaeritur: Quænam illa stella fuerit, quæ Magis apparuit? Certum est, atque indubitatum, eam fuisse reuera stellam, non imaginem aut figuram stellæ. Deinde, communis est Patrum sententia, eam stellam fuisse nouam, non aliquam ex cælestibus illis. Id probat S. Thom. multis rationibus in *tertia parte*, q. 36. art. 7. quas accepit ex S. Chryostomo *homil. 6. in Mattheum*, eas rationes Damascenus *lib. 2. Fidei orthodoxa cap. 7.* paucis cõplectitur. Sydnus, inquit, quod Magis apparuit, non ex illis erat, quæ ab ipso mundi ordine conditæ sunt: id quod ex eo liquido perspicitur, quod illud nunc ab oriente ad occasum, nunc à Septentrione ad Austrum progrediebatur, nunc delitescerebat, nunc seorsus aperiebatur: id quod à siderum ordine, & natura discrepat. Idem docuit Basilus in *homilia de humana Christi generatione*. Origen. *libro 1. contra Celsum versus finem*, Augustinus *lib. 2. contra Faustum cap. 5. & Serm. 3. de Epiph.* Fulgentius in *serm. de eodem die festo*, & Leo *ser. 3. de Epiph.*

Decimoquinto quaeritur, An stella illa fuerit splendidior, & pulchrior cæteris stellis, etiam Sole. Leo *Serm. 1. & 3. de Epiph.* illustriorem, & pulchriorem cæteris sideribus fuisse testatur: idem tradit Damascenus *lib. 2. cap. 7.* Ignat. *Epist. 74. quæ est ad Ephesios*, dicit sole, & alijs sideribus eam lucidiorem fuisse. Chryostomus *homil. 6. in Mattheo*, probat eluxisse plusquam solem, eo quod in meridie luceret, & Ecclesia Romana in *Hymno Epiphania* cantat:

*Quem stella, quæ solis rotam  
Vincit desore ac lumino,  
Venisse terris nunciat  
Cum carne terrestri Deum.*

Quidam iuniores hoc interpretantur, non quod lux eius stellæ maior esset, quam lux solis, sed quod virtute, & demonstratione solis lucem superaret, quia videlicet ostendebat Christum natum esse. Quæ mihi interpretatio certe non placet: quia Chryostomus *loco supra citato* probat fuisse lucidiorem sole, vtpote quæ in meridie luceret, atque etiam coruscaret. Alii dicunt, non tantam quidem lucem habuisse, quantum sol habet, sed habuisse tamen magnam: quia vero terræ vicina erat, videbatur maior quam solis. Hoc etiam mihi non placet. Dicendum existimo, fuisse stellam terræ propinquam, & proinde magnitudine non tantum corpus, quantum est sol: in illa vero corporis paruitate lucem habuisse, maiorem quam sit lux solis; ac proinde cum esset terræ vicina, sole lucidior, non videbatur ab omnibus, vt sol videtur.

Decimosexto quaeritur, An stella fuerit dux viæ Magis ab Oriente vsque ad Occidentem? Quidam dixerunt, stellam illis apparuisse in Oriente in principio, deinde vero nunquam visam à Magis, donec Hierosolyma sunt egressi. Id probant ex verbis Magorum; *Vidimus stellam eius in Oriente*, & ex illis item verbis ipsius Euangelistæ: *Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos*. Sic Caietanus in *Matth. 2. & Iansen. cap. 9. Concordia Evangelica*. Communis, & recepta sententia est, stellam fuisse Magis viam ducem toto itinere ab Oriente vsque in Occidentem: Ita Chryostomus *homil. 6. in Mattheum*. Auctor operis imperfecti in *Mattheum: hom. 2.* Hieronym. in *Matth. 2.* Leo *serm. 4. de Epiph.* & Ecclesia Romana, id videtur non obscure significare in *Hymno huius festi*, cum ait:

*Ibant Magi, quam viderant  
Stellam sequentes præciam, &c.*

Huc accedit, quod Euangelista expressè dicit stellam antecessisse eos, postquam Hierosolymam exierant; vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer. Ergo credibile sit, idem officium fecisse ante in Oriente vsque in Occidentem.

Decimosextimo quaeritur, Vbi iacuerint primum & nunc iaceant, asserunturq; veneranda Magorum corpora; Magi monitu Angeli per aliam viam in regionem

suam, hoc est, in Persidem redierunt. Deinde post Christi necem, Apostolis per totum terrarum orbem dispersis annuntiandi Euangelij causa, Thomas, cui obtigit India, in Persidem venisse fertur: ibi tres Magos salutari baptis-matis vnda abluit; ac postea socios & adiutores eos habuit in promulgando Euangelio apud Persas: apud quos tandem Magi in pace quietissime perhibentur. Sacra eorum corpora à Persia Constantinopolim tempore Constantini Magni translata, & postea in templo sanctæ Sophiæ collocata sunt. Inde Sanctus Eustorius, eo nomine secundus; Episcopus Mediolanensis, natione Græcus, ab Imperatore Constantinopolitano, cuius fuerat ad Mediolanenses legatus, ea impetrata, Mediolanum transfuit: & in templo siue Basilica Eustorgiana asseruata sunt annis 670. Postea anno sal. 1164. Federicus Enobardus Imperator, cum Mediolanum urbem obesset, & tandem eam pram diruisset, Rinaldo Archiepiscopo Colonienfi concessit, vti veneranda illa corpora Mediolano extraheret. Tunc ille pius ac bonus Pontifex in urbem Coloniam asportauit, quam certe calamitatem Mediolanenses grauissimam iudicarunt: vt refert Sigonius de Regno Italiae *lib. 13. anni 1164.*

Decimo octauo quaeritur, An eodem die, quo Magi Christum in cunabulis adorauerunt, fuerit Christus baptizatus à Ioanne in Iordane, cum inciperet esse quasi triginta annorum, vt ait Luc. *cap. 3. Epiph.* *Hæresi 51.* scriptum reliquit, baptizatum esse Christum 8. Idus Nouembris, hoc est, octauo die Nouembris. Hæc sententia singularis proculdubio fuit. Constans tamen est Patrum opinio, eum fuisse baptizatum sexta die Ianuarii, in qua fuerat adoratus à Magis. Ambros. *ser. 18. 21. & 22.* Augustin. *serm. 29. & 37. de tempore. Orig. hom. 8. in diuersos.* Leo *Epist. 4. Maximus in sermonibus de Epiph.* *Castia. collat. 10. c. 2.* Paulinus in *Natali 9. S. Felicij*, Hierony. in *Ezechielis cap. 1. super illis verbis: In quinta mensis: Chryost. serm. 57. & 160.* Isidor. *de Ecclesiast. Offic. cap. 26.* Liber, qui dicitur Ordo Romanus. Albinus *de Diuin. offic. lib. 4. cap. 23.* Rupertus *lib. 3. de Diuin. offic. cap. 34.* Bernardus *serm. 112. & 3. de Epiph.* & certe Romana Ecclesia videtur ita sentire: nam in die festo Epiphaniæ in quodam Responitorio ait: *Hodie in Iordane Baptizato Domino aperti sunt caeli: & in quadam item Antiphona: Hodie caelesti sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina; & in alia: Hodie in Iordane à Christo baptizari voluit: & in Hymno eiusdem diei festi:*

*Lauera puri gurgitis  
Cælestis agnus attingit:  
Peccata qua non detulit,  
Nos ablucendo sustulit.*

Quare non est probanda sententia quorundam iuniorum, aientium, vel incertum esse quomense, vel quoto die mensis baptizatus sit Christus: aut saltem non esse baptizatum 6. die Ianuarii: hæc enim sententia pugnare videtur cum communi Patrum, & Romanæ Ecclesiæ sensu.

Decimonono quaeritur, Quotum ætatis suæ annum agebat Christus Dominus, cum est baptizatus à Ioanne? singularis etiam sententia est Epiphaniij *Hæresi 51.* aientis Christum baptizatum esse sexto Idus Nouembris, id est, octauo die Nouembris, cum nondum expleuisset annum ætatis suæ vigesimum nonum. Id probare nititur ex verbis Lucæ *cap. 3. Erat incipiens quasi triginta annorum*: ergo nondum fuerat ingressus annum trigessimum: sinebat vero annum vigesimum nonum. Sed hæc opinio communiter rejicitur: cum doceat Christum baptizatum fuisse octauo die Nouemb.

Præter alias duæ sunt vulgatæ sententiæ, vna dicit baptizatum Dominum fuisse expleto anno trigesimo, initio anni trigessimij primi. Ita Beda *lib. de Ratione temporum ca. 45.* Et certè huic sententiæ plurimum fauere videtur B. Ignatius *Epist. 5. ad Trullianos*, vbi sic ait, *Et expletis tribus*

annorum decadelus, *vere baptizatus est à Ioanne*. Chrylost. *homil. 10. in Martiânum*. Post triginta, inquit annos Iesum venisse ad baptizatum. Eodem modo loquitur Euthymus *Matth. 3.* & Bedardus *serm. 1. de Epiphâ. Cum trigessimum annum, inquit exegisset in carne*. Quod si illis obijciat Lucas dicentem: *Et erat incipiens quasi annorum triginta*: Respondent, particulam (quasi) dupliciter intelligi posse: ut cum dicimus: epulati sunt quasi mille homines, significare possumus, vel pauciores, vel paulo plures quam mille, & quia Christus inchoabat trigessimum primum, ideo dixit Lucas: *erat incipiens quasi annorum triginta*, hoc est, quod expleverat annum trigessimum, & paucos annos trigessimi primi.

Altera sententia est communis, & recepta, Christum baptizatum esse, cum esset ingressus per aliquot dies, videlicet tredecim, annum trigessimum. Sic Abulen. *Matth. 3. s. Thom. 3. par. 9. art. 3.* & profecto hæc sententia est verior: vnde Nazian. *orat. 39. c. 40. Trigesimo*, inquit, *annu baptizatur*. Hieronymus. *Ezechiel. 1. Triginta annos natus venit ad baptismum*. Irenæus *lib. 2. cap. 39. cum ad baptismum, ait, venit, nondum triginta annos expleverat: sed cum inciperet esse quasi viginta annorum*. Origenes item *Homil. 1. in Ezech. b.* & Iustinus martyr *in dialogo cum Tryphone*. Ambrosius & Theophylactus *Lucæ 3.* & Euseb. *lib. 1. Historie cap. 10.* loquuntur eodem modo quo Lucas *cap. 3.* Hanc sententiam secuti videntur Ildor. *lib. 3. de Eccles. Offic. c. 26.* Ordo Rom. cum agit de officio Epiphaniæ, Albinus de Divin. offic. *ca. de Epiph. Rupert. lib. 1. de Divin. offic. cap. 34.* Amalarius *lib. 4. de Eccles. offic. cap. 33.* Hæc sententia est tenenda, tum quia videtur magis cum Lucæ verbis congruere: Et erat incipiens quasi annorum triginta: tum etiam quia est communi omnium consensu recepta, & approbata.

Ad id vero quod obijciat ex Ignatio, Chrylostomo & Bedardo, dicentibus Christum esse baptizatum, cum expleverat annum trigessimum, Respondeo eos locutos fuisse more Scripturæ: sicut *Luc. 2.* dicitur: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*: cum tamen nondum expleto octavo die, sed eurrente circumciliis sit: & Christus Dominus. *Mar. 8.* dicit. *Post tres dies resurgam*: & tamen ipso die tertio incompleto resurrexit. Ita in Synodo Bracharensi sub Martino eius civitatis Episcopo *Can. 20.* dicitur: *Siquis triginta ætatis sue annos non impleverit, nullo modo Episcopus ordinetur, etiam si valde sit dignus: quia ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est, & cepit docere*. Et tamen in Episcopo non requiritur trigessimus annus completus, sufficit incæptus. Baptizatus igitur est Christus, anno suæ ætatis trigesimo sicut Ioseph patriarcha anno trigesimo cepit Ægypto præesse, *Genes. 41.* & David rex exorsus est regni administrationem. *2. Reg. 5.* & Ezechiel suam vaticinium inchoavit, *Ezech. 1.*

Vigesimo quaeritur, Quotus dies hebdomadæ fuerit is, in quo baptizatus est Christus: communis est Patrum sententia, Christum baptizatum fuisse die Dominico, primo hebdomadæ die. Ita Patres in Concilio sexto Generali, quod fuit Constantinopolitanum in Decretis c. 8. Ita etiam Augustinus *serm. 54. de Tempore*, ex quo perspicitur, Dominum, ieiunium quadraginta dierum cæpisse feria secunda, videlicet septima die Ianuarij. Nam Mattheus dicit, baptizatum fuisse, & tunc ductum esse à Spiritu in desertum: ergo statim post baptismum, ieiunium inchoavit, illudque: sicut decem quinto die Februarij: ut ait Albinus de Divin. offic. *cap. de Epiphâ. & 15. dies, qui fuit ieiunij finis, erat sexta feria, hoc est, dies Veneris, eodem die tentatus est à Diabolo: quoniam Adam primus in die Veneris tentatus est à Dæmone, & ab eo victus: ac secundus Adam die quoque Veneris tentatus à Diabolo vicit: ut nos quoque per ipsum, & in ipso Diabolum vinceremus. vnde cum *Lucæ 4. Matth. 4. & Mar. 1.* significetur Christum Dominum completis quadraginta diebus fuisse tentatum à Dæmone, non est sensus, post completos quadraginta dies tentatum fuisse, sed in ipso quadagesimo, & ultimo ieiunij*

die; quamvis non omnino completo, sicut *Lucæ 2.* dicitur: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, & tamen non est circumciliis exæcto illo die, sed tantum inchoato.

Vigesimo primo quaeritur, An miraculum, quo Christus vocatus cum matre sua ad nuptias in Cana Galilææ aquam in vinum conuertit, factum fuerit 6. Ianuarij, in quo fuerat adoratus à Magis, & baptizatus à Ioanne? Communis est veterum Patrum sententia, hæc tria eodem die, scilicet 6. Ianuar. licet in diuersis annis fuisse facta. Ita S. Aug. *ser. 29. c. 37. de temp. Ambr. serm. 18. 21. & 22. Maximus serm. de Epiphâ. Paulinus in natali 9. S. Felici, & Petrus Chryologus serm. 57. c. 160. Bernardus serm. 1. 2. c. 3. de Epiphâ. Ildor. lib. 1. de offic. Eccles. cap. 26. Albinus de Eccles. offic. cap. de baptismo Domini*. Liber qui dicitur ordo Romanus, ubi agit de Epiphania, Rupertus *lib. 3. de Divin. offic. cap. 34. Amalarius lib. 4. de offic. Eccles. c. 33.* & profecto hæc videtur esse Ecclesiæ Romanæ sententia, nam in Ecclesiastico officio de Epiphâ. vna Antiph. sic habet. [Tribus miraculis ornatum sanctum diem colimus: hodie Magos stella duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie in Iordane Christus baptizari voluit, &c.] & alia Antiphona: [Hodie cœlesti sponso iuncta est Ecclesiæ, quoniam in Iordane lauit Christus eius crimina: eurrunt cum muneribus Magi ad regales nuptias, & ex aqua factu vino lætantur conuiuæ.]

Nihilominus est opinio iuniorum non vno eodemque die tria ista accidisse. Id probant tribus, quatuorve rationibus, & argumentis. Primo, quia Origenes, Augustinus, Ambrosius & Maximus non dicunt, hæc tria eodem die contigisse, nam sub disiunctione loquuntur dicentes, vel primum, vel secundum, vel tertium. Deinde quia sensus Ecclesiæ dicentis: *Tribus miraculis ornatum sanctum diem colimus*, non est, quod tria illa miracula eodem die facta fuerint: sed quod ipsa Ecclesiæ vno eodemque die trium illorum miraculorum memoriæ celebret, sicut cū dicit Ecclesiæ per totam octauam Paschatis: *Hodie Pascha nostrum immolatus est Christus. Et per totam octauam Pentecostes: Hodierna die Spiritus sanctus in filios adoptionis effudit*. Ad hæc, quia August. *serm. 134. de tempore dicit*: die Dominico baptizatum esse Christum à Ioanne, & eodem die factu esse miraculum de aqua in vinum conuersa ad nuptias: at vtrumque esse non potuit die Dominica: nā si Dominica dies fuit sexta dies Ianuarij, quando baptizatus est Christus, eodem sexta dies Ianuarij non potuit esse Dominica in anno proxime sequenti. Postremo, quia prædicatio Christi incipit à baptismo eius petactō quadraginta dierum ieiunio, ut colligitur ex verbis beati Petri *Act. 1.* Si ergo primum miraculum factum ad nuptias in Cana Galilææ, extitit in sexta die Ianuarij in anno proxime sequenti, consequens est, ut Christus toto illo anno, in quo baptizatus est, non prædicauerit: nam si prædicauit, miraculum aliquod fecit, ac proinde non fuit primum id, quod factu est ad nuptias in Cana Galilææ: existimo equidem hæc quæquam esse à prima sententia recedendum, quippe quæ est communi omnium Patrum consensu recepta.

Quare ad primum quod obijciatur, Respondeo, Augustinum, Ambrosium, & Maximum, solum voluisse dicere, Ecclesiæ colere sextam diem Ianuarij, vel propter aduentum Magorum, vel propter baptismum Domini, vel propter primum miraculum factum ad nuptias: atque ideo eo ipso insinuant, hæc tria eodem die fuisse facta. Et quamvis ipsi sub disiunctione loquerentur: nihilominus tamen Ildorus, Bernardus, Beda, Romanus, Albinus, Rupertus, & Amalarius aperte tradiderunt illa tria vno, eodemque die contigisse, videlicet sexto die Ianuarij.

Ad secundum Respondeo, disparem esse rationem, quædo Ecclesiæ dicit: *Hodie Pascha nostrum immolatus est Christus. Et, Hodie Spiritus sanctus in corda discipulorum descendit*. Nā huiusmodi dies festi non sunt fixi & stabiles, sed mobiles, & ideo sensus est: *Hodie recolitur memoria resurrectionis*

Linc. 2.

nis Dominicæ, vel aduentus Spiritus sancti: Festus autem dies Epiphaniæ est fixus, & stabilis, immobilisque. Ergo cum Ecclesia dicit: Hodie tria illa miracula extitisse, ea significat esse facta sexta die Ianuarij.

Ad tertium argumentum Respondeo, Augustinum dicere voluisse, miraculum de aqua in vinum conuersa, factum fuisse eodem die, quo baptizatus est Christus, videlicet sexta die Ianuarij.

Ad quartum Christus anno illo quo baptizatus est, reuera Euangelium annunciare cœpit, nemine, vt inquit Epiphanius *Hæresi 51.* contradicente: & ad exitum anni illius cœpit discipulos congregare, & sexta die Ianuarij in anno proximè sequenti, primum miraculum fecit ad nuptias in Cana Galiliæ, antea prædicare cœperat, & discipulos vocare, sed miraculum vltimum nondum fecerat.

## CAP. XII.

## De die festo Ascensionis Dominicæ.

**P**rimo queritur, Quam antiqua sit huius diei festi obseruatio? Respondeo, eam antiquissimam esse: nec enim dubitatum est vnuquam quin sit ab Apostolis institutum huius diei festi cultus. Eius meminit Clemens Rom. *lib. 8. Constitus. Apostolic. cap. 33.*

Secundo queritur, Cur Ecclesia Ascensionem Dominicam appeller admirabilem? Respondeo, multis de causis; nam Christus ascendit in cœlum ad maius Angelis, & se inuicem rogantibus: *Quis esset qui venit de Edom, tunc visus de Bojra?* admirantibus etiam discipulis, quibus ideo dixerunt Angeli: *Viri Galilæi, quid stant aspicientes in cœlum?* Fuit itidem admirabilis Christi ascensio: quia sua virtute, non aliena, Dominus in cœlum ascendit. Accedit, quod nunquam antea in cœlo visa fuerant caro, & sanguis: tam fragilis scilicet, & infirma natura: nunquam antea cœlum humanis pedibus calcatum fuerat: vnde hodie primi, & noui fructus in cœlum allati sunt: nouæ merces ex terra in cœlum deportatæ & inuictæ: cœlum, & terra sua bona permutarunt, terra cœlo dedit optimum quod habebat, scilicet, Christi corpus, siue carnem, vt cœlum terræ daret optimum quod in illo erat, sanctum videlicet Spiritum, & ita per Christum, & in Christo facti sunt homines cœli habitatores, ciues & incolæ, & per Spiritum sanctum descendentes in terras cœpit mundus nouum Spiritum habere. Hodie Arca Patriarchæ nostri Noe, id est, Christi, quæ inundantibus terram imbribus, pleneque occupantibus, huc, & illuc delata vim & impetum magna virtute superauit, nunquam vdis oppleta, nunquam obruta, in altissimis demum, non Armeniæ montibus, sed cœlorum arcibus requiescit. Hodie Arca non veteris, sed noui testamenti, ad cuius præsentiam manus Domini Philistinorum. Gentem ingenti plaga percusserat, & falsos eorum Deos è sua sede deiecerat, super planstrum nouum imposita, id est, corpus gloria cœlesti resplendens. non ad ciuitatem Bethsames, sed ad ciuitatem æternam deducta, supra æthereos Angelorum choros in sublimi æterni Patris solio consistit. Hodie noster Moses, id est, Christus manum suam, potentiam nempe, in sinum suum infert, eam ad sinum Patris reducens: & ita tota videtur eandem, vt antea, id est, tota maiestate, & gloria plena, cum ea, foris dum erat; puta, cum peregrinabatur in terra, leprosa & infirma apparebat. Hodie rex noster Assuerus, repudiata regina quæ eius iussa non fecerat, relicta, inquam terra Iudææ, quæ parere ipsi renuerat, despondet sibi Esther fidelem, & pulchram, id est, cœlestem Hierosolymam, totam vndique formosam, atque gloriosam. Hodie grandis Aquila magnarum alarum, tulit medullam cœli Virginalis, & deportauit eam in vibem negociatorum Angelorum. Omnes enim sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis. Hodie rex noster Dauid, Arcam Testamenti cum cantoribus desert ad templum, non manu

hominum factum, sed cœleste: & impletum est illud, quod est in Canticis: *Fuge dilecto mi, & assimulare caprea, himnologue cornorum, super montes aromatatum.* In caprea symbolicè intelligitur Synagoga, veterum Israelitarum visu Prophetico celebris, & per dumeram caremoriaturum, & iudicialium mandatorum fastigans. In ceruorum hinnulo Dauid rex intelligitur filius Patriarcharum, & Prophetarum, qui vt cerui quidam, per sanctarum Scripturarum campos, celeritatis, & contemplationis acie vagabantur. Montes aromatum intelliguntur cœli incorrupti & puri: nam quicquid in eis est, quasi aromaticum est, & omni plenum odoris suauitate. Dicit itaque sponsa: Similis esto sponse mi Christe, Synagogæ veteri, quæ vt sacra narrat historia, deportandam Arcam fœderis Domini è domo Obededom in montem Sion, cum lætitia magna curauit. Tu igitur in cœlum ascende: tuam istam carnem, & naturam humanam, quæ vera est Arca fœderis Domini, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, cum magna lætitia, postquam perfecisti, & consummasti iam omnia, in cœlum transfer. Similis esto hinnulo ceruorum, nimirum Dauidi regi, siquidem tu es alter Dauid, qui indutus Ephod lineo, comitantibusque maioribus natu Israelitis, & tribunis, vniuersoque populo, deferrebat Arcam fœderis Domini cum iubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, cymbalis, nablis, & cytharis conrepantibus: & constituit eam in tabernaculo, quod in plena sua ciuitate tederat. Tu igitur sacratissimam corporis tui arcam, comitantibus choris Angelicis, deduc in alium, & constitue in templo cœlesti, quod passione & morte tua teleraisti: & præparasti diligentibus te: consistite, inquam, super montes aromatum, id est, super omnes calos, aromatica omni suauitate fragrantés. Hodie quoque noster Heliseus ascendit ex Iericho, id est, ex hoc mundo, in Bethel, id est, in domum Dei. Hodie columna nubis præcedit castra Israelis, nimirum caro, & humana natura suscepta, qua veluti nube, Diuinitatis maiestas, & gloria regebatur, ascendit iter pandens ante nos. Hodie noster Elias ascendit raptus, non in curtugneo, sed in corpore glorioso: cuius quatuor equi splendore pleni, sunt quatuor corporis gloriosi dotes. Hodie noster Ioseph, nempe Christus ductus ex carcere, hoc est, ex sepulcro, ex inferis, ex mortuis, denique ex hoc mundo, sistitur non ante Pharaonem Aegypti principem, sed ante Regem æternum: Patrem suum Deum omnipotentem: omnino tonsus, nimirum abiectis mortalis carnis infirmitatibus, & constituitur virorem, & mortuorum Iudex, & accipit sibi datam potestatem in cœlo, & in terra: sedet ad dexteram Patris.

Tertio queritur, Quor, & quibus de causis decuit, vt Christus in cœlum ascenderet? Respondeo, multis de causis. In primis, vt qui per mortem ius ad cœlestè regnum acquisierat, eius hodierna die possessionem cum magna Angelorum, & hominum lætitia assequeretur. Decebat itidem vt sanctum Christi corpus ex mortuis suscitatum, nunquam amplius mortuum, eum locum teneret, qui est ab omni interitu, & occurtu alienus. Nimirum loci vis & conditio, secundum rerum usum, & ordinem respondit corporis locati naturæ. Quid quid totus cœli ambitus coeret, casus & interitus legibus subiectum obstringitur: non igitur decebat vt tantum corpus cœlesti gloria & immortalitate donatum, huius perituri mundi sibus teneretur. Deinde supremo omnium Regi, maximo omnium Principi summum & maximum regnum, & imperium debebatur: *Calum cali Domino*, ait regius Prophetia, *terra autem filijs hominum.* Insuper Christus, vt regem suum ac Dominum, vniuersa terrestria, & inferna cognouerunt; decebat igitur vt illum tanquam Regem suum cœlestia agnoscerent, exciperent, & adorarent. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; vt in nomine Iesu omne genua flectatur cœlestium, terrestrium & in-*

fernorum,

ferorum, &c. Præterea ascendit Dominus noster, vt corda mœsta, cœlestium nimirum bonorum avida, secum in cœlestia iaperet, vt ibi corda nostra figerent, vbi esset thesaurus noster, quem nec ærugo, nec cinis demolitur, nec fures effodiunt, & furantur. Si surrexisset, ait Apostolus, cum Christo, quæ sursum sunt, quærere, quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram. Vnde Leo Papa, serm. 1. de Ascens. Liberos corda oculos ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus sursum, vocatos animos desideria terræ non depriment, Ascendit, vt fidem nostram confirmaret, spem erigeret, charitatem accenderet. Nam vbi est corpus, illuc congregabuntur & aquila: & per portam, quamuis alioquin angustam & arctam, per quam caput ingreditur, corpus intrabit, Domino ihso opulante.

Quarto quæritur: ex quo loco terræ Dominus in cœlum ascendit? Lucas cap. ult. sui Euangelij ad finem sic ait: Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et Actuum 1. postquam dixisset, videntibus discipulis eleuatum esse Dominum, subiicit: innc reuersi sunt Hierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Hierosolymam, sabbati habens iter. Ascendit igitur Christus ex monte Oliuarum, qui mons ab Hierosolyma distabat itinere Sabbati, quod spatium erat his mille pedum, vt tradit Hieronymus Episc. 151. ad Alagisiam q. 10. & 20. siue, vt Beda testatur mille passuum, tantum enim iter Iudæis in Sabbato conficere permittebatur. Et idem Lucas ca. 24. dicit distare Bethaniam, quæ sita erat ad latus montis Oliueti ab Hierosolymis, stadijs quindecim, & stadium teste Plinio, continebat octauam mille passuum partem, hoc est, centum viginti quinque passus, pedes vero sexcentos vigintiquæ viginti mensura Octies sumpta efficit mille passus.

Quinto quæritur, Cur quadragesimo die à resurrectione Christus Dominus in cœlum ascenderit, & non antea, vel post? Beda Actuum cap. 1. mysticas huius rei causas producit. Observarunt veteres Patres mysticum esse numerum, vt Basil. hom. in quadraginta Martyres. Ambros. serm. 34. de quadraginta, & Luc. 2. Hieron. Ione 3. Aug. lib. de Gen. ad literam, c. 169. & lib. 2. de consen. Euangelista. ca. 4. Quadraginta dies, ac noctes pluit, cum aqurum inundatione: Deus mundum purgavit. Genes. 7. Quadraginta dies mortui aromariibus conditi asseruati solebant, antequam sepulture mandarentur. Gen. 50. Quadraginta dies exploratores à Mose missi promissam à Deo terram perlustrarunt. Num. 13. Quadraginta dies Goliath diabolum aduersarium nostrum significans, stetit explorans contra populum Dei, 1. Reg. 17. Quadraginta annos filij Israel per desertum peregrinati sunt. Exod. 16. Quadraginta dies Ezechiel, iustus est in dextrum latus iacere, vt portaret iniquitates domus Iuda. Ezech. 4. Quadraginta annos Aegyptus deserta cogitur quodammodo penitentiam agere, Ezech. 25. Quadraginta dies, ac noctes ieiunium seruauit Moses: Exo. 24. & 34. totidem Elias 3. Reg. 19. & totidem Christus Dominus. Matt. 4. Quadraginta dies Christus post resurrectionem, antequam in cœlum ascenderet, in terris versatus est. Certe casu non fit, quod tam sæpe fit. Quadragenarius numerus, inquit Augustinus, totum presentis vite cursum designat, tempus penitentia, & peccatorum expiationi destinatum.

Reuera decuit, vt Christus veram sui corporis resurrectionem multis argumentis ostenderet: quod & præstitit quadraginta dierum spatio. Decuit idem, vt Ecclesiam plene fundatam relinqueret; & proinde vt quadraginta diebus Apostolos, qui futuri erant Ecclesiarum præfides, multa doceret: Præterea decuit, vt post resurrectionem Apostolorum, & discipulorum animos sua præsentia exhilararet, & fide, spe, & charitate confirmaret. Postremo, sicut passione, & morte sua, Apostolorum, & discipulorum animos contristauerat per quadraginta horas, sic eos exhilarauit sua præsentia post resurrectionem, per quadraginta dies, ita, vt dies lætitiæ responderet vni horæ

tristitiæ. Pronior nimirum est Deus ad miserendum, quam ad puniendum: modicum affligit, sed multus est & largus in consolando.

Si quærās, quo mense, & quoto die mensis Christus in cœlum ascenderit? Respondeo, iuxta opinionem eorum qui dicunt Dominum passum fuisse die 3. Aprilis, ascendisse in cœlum die 14. Maij: quia si mortuus est die 3. Aprilis, resurrexit die 5. eiusdem mensis: sed à die 5. Aprilis vsque ad diem 14. Maij, sunt 40. dies.

Sexto quæritur, Quota hora diei ascendit Christus in cœlum? Actuum 1. dicitur. Conuersans prætedit eis: postea subditur: Cum hac dixisset, eleuatus est. Erasmus, Caietanus, & alij putant hoc loco non esse legendam, (conuersans) sed (conuersans): Græcum enim verbum (inquunt isti euuadiçæ) non significat comedere, sed conuersari. Quicquid illi dicant, Latina lectio retinenda est, siquidem ita legunt omnes Latini codices; & Interpretès Beda, Glossa, & Hieronymus Episc. 150. ad Rodibiam qua. 9. Fortassis olim varia fuit apud Græcos codices lectio, siquidem Chrysostomus, & alij, eodem sensu quo Latini, hunc locum intellexerunt. Et Marci ultimo habetur: Nonissime recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Iesus, & post sermonem cum ipsis habitum, dicitur assumptus in cœlum: ergo videtur ascendisse meridiano tempore, post cibum sumptum. Vnde alicubi consuetudo est, vt hora diei duodecima vsque ad primam pomeridianam publicæ, & solemnes preces fundantur in memoriam Dominicæ Ascensionis: Beda de locis Sanctis, cap. 1. testatur huius diei festi celebritatem fuisse decoratam diuinis, & cœlestibus prodigijs in eoislo loco, ex quo Dominus in cœlum ascendit. In die, inquit, Ascensionis Dominica per annos singulos, Missa peracta, valida flammis procella de sursum venire consuevit, & omnes, qui in Ecclesia sunt, in terram prosternens. Tota ibi ea nocte lucerna ardent, vt non illustrari tantum, sed & ardere mons, & supposita loca videantur.

Septimo quæritur, Cur Dominus antequam in cœlum ascenderet, benedictionem Apostolis & discipulis impenderit? Refert Beatus Lucas c. 24. sui Euangelij, & Actuum 1. Dominum, antequam discederet ab eis, eleuatis manibus benedixisse suis. Nominè benedictionis, bonorum precatio intelligitur. Benedixit eis. Videlicet verbis: ipsis audientibus precatus est bona, felicia, & fausta, vt benevolentia signum præberet, & vt eos in suo discessu consolaretur. Fecit vt patet, qui moriens, aut longe abiens, non rediturus filijs suis benedixit: sic Isaac moriens, sic Iacob filijs dicitur benedixisse. Eleuatis porro manibus benedixit eis: quia sic etiam Patriarchæ, & Pontifices facere solebant, cum bona suis precabantur, Genes. 48. & 49. & Leuit. 9. Huiusmodi autem manuum deuotione significabant illi, non tam terrestria, quam cœlestia bona se illis precari, vel Deum esse, à quo bona optari, & expectari, ac peti deberent. Legitur Exod. 17. Moses Deum orasse sublati in cœlum manibus, Paulus item in prioris Epistola ad Timoth. Volo, inquit, viros orare in omni loco: leuantes puras manus: Gentes etiam, cum Deos suos falsos precabantur, ad cœlum manus, duce natura tenebant. significatur autem ea cœlestia, in altis Deum esse, & in cœlo esse sedem, & veluti publicum templum Dei, qui bona daret: significatur etiam dum oramus, corda sursum erigenda.

Octauo quæritur, Quid sit illud quod Lucas ait: Et nubes suscepit eum ab oculis eorum? An scilicet ea fuerit vera nubes, an non. A Bulensis Paradoxo octauo scribit fuisse veram nubem, vel ibi denuo creatam, vel aliunde delatam, & Christi pedibus suppositam: non quidem vt illius corpus sustineret, vel sursum gestaret, neque enim Dominus villo gestatorio vehiculo indigebat, sed vt suo Domino instar throni, & sellæ regalis inferuaret, & instar curus Imperatori famularetur. Totum hoc factum est propter nos, vt intelligeremus, post labores recreandos nos esse de via lassos, requiem consecuturos, inter medios laborum æstus refrigerandos.

Mat. 6. Ad Col. 3.

Matth. 24.

Plin. li. 2. c. 23.

Genes. 17. 48. & 49. Leu. 9. Exo. 17. 1. Ti. 2.

Act. 1.

Genes. 17. 48. & 49. Leu. 9. Exo. 17. 1. Ti. 2.

Act. 1.

Aiunt quidam nubem illam fuisse splendorem quem corpus Christi, cum esset iam cæli vicinior, faciebat: sed non est, cur negemus, veram fuisse nubem illam Christi suscepticem: cum Scriptura simpliciter nubem nominet, neque dicat: quasi nubem, aut in similitudinem nubis. S. Chrysostr. homil. 2. in Acta Apostolorum. & Beda Actorum primo, insinuant, nubem fuisse, non tamen constare, nubem, illam suppositam pedibus Christi simul cum eo ascendisse instar scælar, ut diximus, gestatorie cuiusdam. Nam Scriptura non dicit absolute: *Et nubes suscipit eum*, sed *suscipit ab oculis intuentium*: quasi dicat, interiectu nubis substractus est Christus ab oculis intuentium: quamdiu enim Christus ascendens videri voluit, nubes interposita non est inter ipsum, & terram: Postquam vero cepit longius a terra abesse, tunc interpositu nubis sese ab oculis discipulorum subtraxit.

Nono queritur, An cum Christo Domino aliqui in cælum ascenderint? De hoc Evangelistæ nihil dixerunt, sed Paul. ad Ephes. 4. ait: *Ascendens in altum, captivum duxit captivitatem*, quod interpretes communiter explicant, eos in istos homines, quos è sinu Abrahæ, veluti è carcere tanquàm captivos eduxerat, in cælum secum duxisse.

Verum, quæret fortasse quispiam, num aliqui corpore, & animo fuerint vna cum eo in cælum assumpti? Ratio dubitandi est, quia alioqui, sicut discipuli viderant Christum ascendentem, ita etiam vidissent eos ascendentes: sane probabile est aliquos vna cum Christo corpore, & animo ascendisse. nam Christo è mortuis resurgente Mathæus refert resurrexisse multa corpora sanctorum, & credendum est, veram fuisse eorum resurrectionem, ita ut resurrexerint resumptis corporib. ad gloriam cælestem, & vitam immortalam, cum resurrexerint, ut restes essent Dominicæ resurrectionis, & ideo sicut corpus Christi erat ad vitam reuocatum, non amplius moriturum, sic illi ut probabiliter credi potest, fuerunt ex mortuis suscitati in corporibus perpetuo victuris, ac nunquam amplius morituris. Credendum etiam est, omnes Angelorum ordines è cælo descendisse, ut Christum ascendentem comitarentur, eique honorem, & cultum tanquam suo Domino, & Regi debitum deferret. Vnde duo illi Angeli, post Christi ascensum in cælum, Apostolus dixerunt eum esse in cælum assumptum, & sic venturum, quem admodum in cælum ascenderat, hoc est, in eadem gloria, maiestate & potentia, in corpore simul & animo, & comitantibus eum Angelorum, & beatorum Spirituum choris.

Decimo queritur, An super omnes cælos Christus ascenderit? Certum est, Christum ascendisse in supremum cælum beatorum Spirituum domicilium, & sedem. Nam Paulus ad Hebr. 4. *Habemus*, inquit, *Pontificem, qui penetravit cælos*, & cap. 7. *Christus excelso calice factus esse dicitur*. Sed in dubium vertitur, An ita in supremum cælum ascenderit, ut totum eius corpus sic intra illud cælum, an vero potius ita, ut corpus sit pedibus connexam illius cæli superficiem calcantibus. S. Thom. 3. part. 9. 57. ar. 4. ad secundum, putat corpus Christi consistere in supremo cælo, posteriore modo. Duran. in 3. distinct. 2. quest. 8. solum esse in cælo à firmam priore modo, quia extra supremum cælum nihil est, sic etiam sensit idem S. Thom. in 3. distinct. 22. quest. 3. art. 3. quest. 1. ad primum.

Certe ex sacris literis, aut ex sanetis Patribus non cogimur asserere ita Christum in cælum ascendisse, ut pedibus consistat in conuexa supremi cæli superficie, & corpus eius extra supremum cælum sit, quia Scriptura, & Patres dicunt quidem Christum ascendisse super omnes cælos, & super omnes quoque Angelorum choros: id tamen recte explicatur, quod ascendit in altissimam supremi cæli partem, vbi nullus sit Angelorum.

Vndecimo queritur, Cur Evangelistæ Marcus, & Lucas dicant, Christum esse assumptum in cælos: cum reuocata tamen sua, & propria virtute ascenderit? Respondeo. Evangelistas esse eodem modo locutos, quo Paulus, & alij

Apostoli dixerunt, Christum ex mortuis à Deo suscitatum fuisse: cū tamen, sua virtute resurrexerit. Porro cum resurgere ex mortuis, & in cælum ascendere, sit opus omnipotentis, & omnipotentiam Sacræ literæ tribuant Patri: ideo Evangelistæ, & Apostoli dicunt Christum à Deo suscitatum ex mortuis, & Assumptum in cælos. Nihilominus tamen dicunt eum resurrexisse ex mortuis, & in cælum ascendisse. Paulus enim ad Ephes. 4. dixit: *Ascendit super omnes cælos, ut adimplet ut omnia*. Et ibidem: *Quis est qui ascendit, nisi qui descendit primum interiores partes terræ*: Et ipse Dominus noster dixit Nicodemus: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo Filius hominis*: & apud S. Lucam Angelus dixerunt: *Quomodo cum visisset eum euntem in cælum*.

Duodecimo queritur, Quo modo intelligatur illud quod Evangelistæ, & Paulus quoque, & Apostoli sæpe crediderunt, Christum Dominum sedere in cælis ad dexteram Patris? Ratio dubitandi est, quia hoc vel dicitur de Christo, quatenus Deus est, vel quatenus homo. Si primum, cum Christus sit ab omni æternitate Deus, consequens est, ut ab æterno quoque tempore sedeat ad dexteram Patris: quomodo ergo Evangelistæ, & Paulus significant Christum Dominum post passionem, & mortem suam, resurrectionem, & ascensionem consecutum fuisse, ut sedeat ad dexteram Patris? Item Christus, ut Deus quia est æqualis Patri, dicitur sedere ad dexteram Patris: ergo Spiritus sanctus, quia est æqualis Patri, & Filio, dicitur sedere ad dexteram Patris, & Filij, & ipse Pater ad dexteram Filij, & Spiritus sancti, quod dicendum non est. Si vero hoc Christo, quatenus homo est, conuenite dicatur, ob stare viderit, quod Paulus ad Hebr. 1. *CHRISTUS* diuinitatem probat ex hoc, quod sedet ad dexteram Patris: *Cui enim*: inquit, *dixit aliquando Angelorum, sede à dextera meo*: & ad Ephes. *Constituens, Christum, ad dexteram suam in cælestibus supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro*. Certum est, ut egregie probat S. Thomas, 3. q. 8. ar. 2. §. 3. ex Damasc. li. 4. de fide, ca. 2. hoc conuenire Christo, quatenus Deus est, & eidem conuenire similiter, quatenus homo est. Primum constat ex eo, quod Paulus, & Evangelistæ Christi, diuinitatem ostendunt, ita ut eo ipso, quod sedet ad dexteram Patris, æqualis ei esse intelligatur, vnde Græci veteres Patres communiter docuerunt: sedet ad dexteram Patris idem esse, quod eandem diuinitatem, & potestatem habere, quam Pater: Ita S. Basilii de Spiritu sancto, ca. 4. Cyril. Cateches. 14. Cyril. lib. Theophauro. c. 7. Chrysostr. hom. 2. in Epistola ad Hebr. Theodor. Theophyl. & Oecum. in Epist. ad Hebr. 1. Damasc. lib. 4. cap. 2.

Quomodo igitur, inquires, Christus dicitur id consecutus post passionem, & mortem suam, resurrectionem, & ascensionem? Respondeo id Christum habuisse tum ab æterno tempore, quia sic etiam Deus est, à Pate in eadem diuinitate, omnipotentia, & maiestate genitus: tum etiam post passionem, & mortem suam, resurrectionem, & ascensionem. Nam Paulus ad Ephes. 1. de Christo loquens: *suscitans*, inquit, *(Deus Pater) illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus*. Et ad Hebr. 1. dicit de Christo: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedes ad dexteram maiestatis in excelso*. Qui cum sit Deus factus homo, omnium peccata sua passione, & morte purgavit: qua purgatione peccata, sedes ad dexteram Patris. Verumque igitur est verum, & quod Christus ab æternitate eandem diuinitatem, & æqualitatem habet, quam Pater, & quod post passionem, & mortem suam, resurrectionem, & ascensionem consecutus est, ut sedeat ad dexteram Patris, hoc est, ut sit in eadem potestate, diuinitate, & æqualitate, qua Pater, Non quidem quod post Passionem, & mortem, suam resurrectionem & ascensionem ceperat eam habere, sed quod resurrexerit & ascensionem ceperat eam habere, sed quod innotuerit mundo, eum quamuis passus, & mortuus fuerit, esse tamen Deū æqualem Patri. Sic.

Eph. 4.

Eph. 4.

Ioan. 4.

Act. 1.

Hebr. 1.

Eph. 2.

Hebr. 1.

77

*Matth. 28.* Sicut illud *Matth. ult. Data est vobis omnis potestas in celo & in terra*, ita accipiendum est, non quod tunc caro sibi datam habere coepit, sed quod ex eo tempore sit mundo declaratum, cum omnem potestatem in celo habere, & in terra, quam olim ab aternitate habebat cum Patre, & Spiritu sancto. Item, sedere ad dexteram Patris, conuenit etiam Christo quatenus homo est. Ita videntur docere Ambrosius *lib. 2. de Fide cap. 4.* Augustinus *lib. contra sermo. Arria. cap. 12.* Athanasius *lib. de salutari Christi aduentu.* Hieron. in *Psal. 100.* Ruffin. in *exposit. Symboli.* Tertul. *lib. contra Praxeam. c. 3. S. Tho. 3. par. qu. 58. ar. 3.* Et tunc duplex est sensus: vel quod Christus ut homo, sit in potioribus bonis Patris, ita ut ceteris omnibus præcellat, vel quod Christus, ut homo ratione personæ & vocationis hypostaticæ sit in æquali maiestate, & honore cum Patre.

Porro ad id, quod in principio obiectionum est de Patre, & Spiritu sancto, Respondet S. Thomas *tertia par. q. 58. ar. 2. ad 3.* Pater nullo modo dici potest, quod sedeat ad dexteram Filij, vel Spiritus sancti: quia Filius, & Spiritus sanctus trahunt originem à Patre, & non è conuerso: & sedere ad dexteram (dicitur in corpore articuli) non solum distinctionem personalem importat, sed etiam originis ordinem. Deinde dicitur: Sed Spiritus sanctus, proprie dici potest sedere ad dexteram Patris, & Filij secundum sensum prædictum, nempe, quia habet eandem diuinitatis gloriam, & omnipotentiam cum Patre, & Filio, licet secundum quandam appropriationem attribuaturs Filio, cui appropriatur aequalitas, sicut Patri vnitas, & Spiritui sancti vnitas, & qualitas conuenero. Sic ille.

Decimo tertio quaeritur, Qua ratione, hoc quod est Christum sedere ad dexteram Patris, significet, eum esse in eadem diuinitate, & æqualitate, in qua Pater est? Nam in humanis, cum sunt duo tantum simul, is qui maior est, dextrum laus tenet: ut res sunt, is qui maximus est, in medio consistit. Quidam recentiores in hac difficultate soluenda multa dixerunt, sed reuera plene non explanarunt, quo modo sedere ad dexteram Patris, sic eandem diuinitatem, & æqualitatem habere, quam Pater habet. Reuera breuiter res hæc sic se habet. Dextera apud Hebræos metaphorice potentiam significat, quia apud nos maior est in dextera, quam in sinistra potentia, & virtus: & propterea dextera in Deo significat eius potentiam. Et quia potentia Dei est in mensura, & infinita, cum dextera Deo per metaphoram tribuitur, significat eius potentiam, maiestatem & infinitum imperium. Cum ergo dicitur Christus sedere ad dextram Patris, id est, ac si diceretur, esse in eius omnipotentia, maiestate, in imperio.

Decimo quarto quaeritur, Quænam metaphora sit in verbo sedendi: sicut esse diximus in nomine dextera sedere in celo Christus dicitur, non tam propter habitum corporis, qui si spectetur, stare magis, quam sedere videtur. Stephanus enim eum stantem se vidisse testatur: sed etiam quia stare perfecti, & bene volentis est, sedere autem vel iacere, infirmi, languidi, aut lassus est: neque enim nisi aut quiescendi, aut cibi, somniue capiendi, aut alterius necessitatis causa sedemus, aut iacemus, stare naturalis homini habitus est, qualem in Beatis omnibus esse, probabile creditur. Sedere igitur Christus dicitur, per metaphoram: sedetur post pugnam, sedetur post victoriam: Sedet, qui triumphat, sedet, qui regnat, sedet, qui iudicat in tribunali. Sedet igitur Christus, quia antea pugnavit: sedet, quia victoriam adeptus, sedet, quia triumphauit: denique sedet, quia vna cum Patre regnat, gubernat, & iudicat. Obseruauit Irenæus *lib. 3. cap. 9. fidei Orthodoxæ*, Marcum Euangelistam ideo addidisse: *Et sedet à dextris Dei*, quod alij Euangelistæ præremiserunt: ut ostenderet impletum in eo esse vaticinium Dauidis *Psalmo 109. Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.*

## CAP. XIII

De die festo Sanctissimæ Trinitatis.

PRIMO quaeritur, Quam antiqua sit huiusmodi celebritas in Ecclesia Dei? In Ecclesia Romana non est

hæc quæritur eodem antequam, & vetus, in alijs autem Ecclesijs verusissima est, & antiquissima. Albinus, Caroli Magni, & Ludouici Pij Imperatorum temporibus compotuit se ferre Ecclesiasticum officium de sanctissima Trinitate, videlicet Responsorium, Antiphonas, Missam, & Sequentiam, ut vocant. sic Durandus in *Rationali Diuino officiorum li. 6. ca. 114.* Item in Romana Ecclesia ante Alexandri II. sæculum, dies hic non celebratur, ut festus, & sacer, quia Ecclesia Romana, putabat se hunc rei satisfacere, singulis diebus. Dominicis hunc diem festum celebrando. In cap. Quoniam de Ferijs sic ait Alexander III. *Præterea Festiuitas sanctæ Trinitatis, secundum consuetudinem diuersarum regionum à quibusdam consueuit in Octauis Pentecostes, ut in alijs Dominica prima ante aduentum Domini celebrari: Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, ut in aliquo tempore celebret specialiter huiusmodi festiuitatem, cum singulis diebus Gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto, & cætera similia dicuntur, ad laudem pertinentia Trinitatis.* Hæc ibi olim in Nocturna vigilijs cuiuslibet diei Domini vltima lectio de Sanctissimæ Trinitate recitabatur, & in ea responsorium erat illud: *Duo Seraphini clamabant alter ad alterum & reliq.* Quod totum etiam nunc recitamus in diebus Dominicis minime impeditis, quamuis Lectio de sanctissima Trinitate sit præcisa. Hæc Durandus, in *Rationali Diuino officiorum li. 6. ca. 114.* Post Alexandri III. & aliorum Romanorum Pontificum tempora introductus est in Romanam Ecclesiam vsus aliarum Ecclesiarum: nunc enim colit diem festum in Octaua Pentecostes, id est, prima Dominica à septimo die Pentecostes. Auctor Pisanelle summe in *verbo Feria 3.* testatur, diem festum Sanctissimæ Trinitatis in nostro tempore celebrari mandato Ioannis XXII.

Obijcies quod Pelagius II. scribit in *Epist. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, & reseruitur in c. Inuenimus, de Consecr. dist. 1.* vbi sic ait: *Inuenimus hæc nouem Præfationes in sacro Catholico tantummodo recipiendæ: vnã in Albis Paschalis: aliam in die Ascensionis Dominice: tertiam in die Pentecostes: quartam de Natali Domini: quintam de Apparitione Domini: sextam de Apostolis: septimam de Sanctissimæ Trinitate: octauam de cruce, nonam de Ieiunio, & quadragesima, & Glossa ibi eas recenset, earundem iniitijs indicatis: vnã: Et te quidem omni tempore: secundam, Qui post resurrectionem suam: Tertiam: Qui ascendens super omnes celos: Quartam, Quia per incarnati Verbi mysterium: Quintam, quia cum vnigenitus tuus: Sextam, Te Domine suppliciter exorare: Septimam, Qui cum vnigenito Filio tuo, & Spiritu sancto: Octauam, Qui salutem humani generis: Nonam, Qui corporali ieiunio vitia comprimis: ergo cum antiquissima sit in Romana Ecclesia Præfatio de sancta Trinitate: consequens est, ut in ea quoque Ecclesia verusissima sit: celebritas sanctissimæ Trinitatis. Respondeo ex Micrologo in *Libello de Ecclesiasticis obseruationibus cap. 60.* est Præfationem antiquissimam esse, & vsu Romanæ Ecclesiæ tantari solitam: in diebus Dominicis non impeditis: non autem in die aliquo festo Trinitatis: eo quod Dominici dies, secundum morem Ecclesiæ Romanæ olim Sanctissimæ Trinitati dicati erant. Hinc est, ut Rupertus cum ageret de Diuinis officijs, meminerit etiam huius diei festi *lib. 1. cap. 1.* quia, ut dixi, aliarum Ecclesiarum more, ante Alexandri III. sæculum celebratur.*

Secundo quaeritur, Quid est, quod in veteri Testamento, cum Deus, vel Dominus nominatur, repeti ter soleat? Videtur Sanctissimæ Trinitatis mysterium non quidem expresse, & manifeste, sed occulte, & obscure significatum esse. Nam vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse manifestum fecit in mundo. Et recte quidem, & obscure videtur quodammodo esse insinuatam *Isaie 6.* Vidit enim Propheeta magnus ille Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatam, & duo Seraphim, quorum vnus clamabat ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Ter dicitur: *Sanctus*, propter tres perso-



Num. 6. *nas : Dominus Deus exercituum, propter unitatem essentia diuinæque substantia. Num. 6. Sic benedixit filius Isra- el, & dicitis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. O- fendat tibi Dominus faciem suam, & misereatur tui. Converterat Dominus vultum suum ad te, & dedit tibi pacem. Deuter. 6. Audi Israel: Dominus Deus noster, Deus unus est. In Psalmis, cum sermo est de Deo, non raro nomen Dei ter repetitur; quod autem sæpe fit, præsertim in re tanta, tamq; sublimi non casu, nec fortuito fit, nec mysterio vacare credendum est. Psal. 6. dicitur: *Discidite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Exaudiuit Dominus orationem meam; Dominus orationem meam suscepit. Psal. 17. D. ligam te Domini fortitudo mea. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eum: protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Psal. 40. In die mala liberabit eum Dominus. Dominus confortauit eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non eradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. Psal. 66. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ, Psal. 95. Cantate Domino canticum novum, Cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini eius, annunciate de die in diem salutare eius. Et in eodem Psalmo. *Afferre Domino patria gentium, afferre Domino gloria, & honorem: Afferre Domino gloria nomini eius. (Patria gentium) inquit, id est, Familia & cognationes gentium. Psal. 117. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.***

Item, non videtur, vt quidam Catholici & docti viri docent, mysterio vacare, quod in veteri Testamento Hebraice conscripto sæpe Dei nomen pluraliter dictum, iungitur cum verbo singularis numeri. Iob 35. Vbi Latine legitur: *Vbi est Deus qui fecit me:* Hebraice sic est: *Vbi est Deus factores mei:* Psal. 149. *Latus Israel in eo qui fecit eum:* Hebraice codex habet sic: *(Latus Israel in factoribus suis.)* Isa. 44. vbi Latine habetur: *Dicit Dominus faciens, & formans te.* Hebraice legitur: *(Dominus factores tui.)* & ibidem verfic. 14. vbi Latini codices habent: *Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus.* Hebraici codices habent: *Dominus factores tui.* Et cap. 54. vbi Latina habent exemplaria: *Quia dominabitur tui factores tui, Dominus exercituum.* Cap. 42. Latini Interpretes habent: *Hæc dicit Dominus Deus creans caelos, & exiit eandem eos:* in Hebraeo est: *creantes caelos, & exiit eandem eos.* Psal. 20. Latine legitur: *Iustus Dominus: & iustus dilexit: equitatem vidit vultus eius,* Hebraice: *Equitatem vidit vultus eorum: videlicet Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Gen. 1. *In principio creauit Deus caelum, & terram.* In Hebraeo nomen Dei est numeri pluralis, & verbum, creauit, singularis numeri, ita nempe Dicitur, &c. Ibidem: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* & Genes. 3. *Ece Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Genes. 11. *Venit igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*

Iudei nihil aliud habent, ad suæ perfidiae patrociniū, nisi quod, cum Scripturæ sacræ Deum, vel Dominum nominant, in numero multitudinis vocant, quia personæ primatiæ, vel incl. x. cum de se ipsis loquuntur, plurium numero loqui consueuerunt, & nos quoque cum eis loquimur per pluralem numerum honoris causa. Id probant nonnullis etiam exemplis ex sacra Scriptura desumptis: Exodi enim 21. vers. 29. Latine legitur: *& Dominum eius occiderit.* in Hebraeo legitur: *Et domini occidentur.* Exo. 22. vers. 11. Latina Lectio habet: *Accipiet Dominus iumentum:* Hebraice: *Accipiet Domini eius iumentum,* Isa. 1. *Et asinus præsepe Domini sui.* in Hebraeo: *dominorum suorum.* Item, nomen Adonai est pluralis numeri, significans Dominum meum, & tamen siue de Deo, siue de homine dicatur, reuerentiæ causa dicitur in numero multitudinis. Genes. 2. vers. 30. *Locutus est vir ille dominus terra,* in Hebraeo: *ocutus est vir ille, domini terra.*

Sed quid est quod Sacrae literæ, non semper de Deo pluraliter loquuntur, sed interdum? Quid itidem est, quod Dei nomen plurali numero positum cum verbo, vel adiectiuo nomine singularis numeri coniungitur? Dicunt boni isti viri, Hebraeam phrasim esse, non fecus, ac neutra nomina apud Græcos pluralia finita in Alpha, copulantur cum verbo singularis numeri. Quidquid isti perferri dicant, nos mysterium sanctissimæ Trinitatis putamus aliquando recte, & occulte significari in veteri testamento, vt qui hoc negant, gratis negare videantur, ne dicam malitiose.

Tertio quaeritur, Quid est, quod nonnulli Catholici tradunt, recte & obscure contineri mysterium sanctissimæ Trinitatis in nomine Hebraico ineffabili Dei, quod nomen Hebraei pronunciarunt non posse dicunt; & Græci Tetragrammaton vocant? Superius capite de iomo, quaestione quinta, cum de Sacrosancto nomine Iesu tractarem, dixi in illo nomine ineffabili Iehouah quatuor literas esse. Prima est Iod, secunda est He: tertia est Vau, quarta est He repetita. Prima significat principium: secunda, vitam: tertia nexum, & vinculum. Et proinde primam literam esse voluit quidam Catholicorum pij. & docti viri, vt Galatinus & Vatablus supra e. 10. q. 5. notam primæ personæ in Trinitate, quæ est duarum personarum principium: secundam, secundæ personæ, in qua & per quatuordecim habeat vt sint, vel viuant: tertiam, tertiæ personæ, quæ est nexos & vinculum Patris, & Filij. Porro secunda litera, quæ est quasi symbolum secundæ personæ, bis ponitur ad significandum duplicem respectum, vnum ad Patrem à quo est genitus, alterum ad Spiritum sanctum, cuius est cum Patre spirator, vel significantur duæ naturæ; Diuina, quæ est ab æterno Deus, & humana suscepta, quæ est in tempore homo.

Item eisdem Galatino, & Vatablo testibus, ineffabile nomen Dei veteres Hebraei vocare solebant, nomen expolitum, eo quod exponi soleret per nomen duodecim litterarum. Porro si hoc nomen Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quas personas diuinissimas nomen ineffabile Dei recte, & obscure significat, si in Hebraeo sermone conuertuntur, faciunt nomen duodecim litterarum. Et si hæc item nomina: Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, tres in unitate, & vnitas in tribus Hebraice proferantur, efficiunt nomen quadraginta duarum litterarum.

Præterea veteres Chaldaei, teste Galatino, lib. secund. de arcanis fidei Catholicorum capite. 10. dicuntur figura quadam decepta significasse Deum: scribebant enim ter litteram Iod, quasi in triangulum, vnum Iod desuper, & deinde sub illo, sunt ponebant Iod, & postea figura circulari clauderant, Iod significat Principium, vt superius diximus. Ter scribebant Iod, vt Trinitas personarum significaretur: vnum Iod supra ponebant, & bis Iod sub illo, vt significarent personam Patris, à qua Filius, & Spiritus procedunt: circulo concludebant, vt significarent tres personas in Diuinitate subsistere, quæ principio careat sine.

In mundo maxime celebris est numerus ternarius. Omnia videmus modum, speciem, & ordinem habere. Omnia sunt certa in numero, mensura & pondere. Omnia constant essentia, virtute, & operatione. In omnibus sunt creatio, distinctio, & ornatus. In sole est lux, & splendor, & ex luce, & splendore clamor emanat. In homine sunt voluntas, intelligentia, & memoria. In tempore præteritum, præsens, & futurum. In motu principium, medium, & finis. In magnitudine longum, latum, & altum. In corpore, longitudo, latitudo & crassitudo. In ipso mundo, sunt elementa, cæli, & Angeli. In elementis, leue, graue, & medium. In cælis, æreum, æthereum, empyreum. In Angelis tres Hierarchie, In singulis Hierarchijs tres ordines. Denique cuncta sunt ex nihilo condita, fouentur, conferuantur, gubernantur per potentiam, sapientiam, & benignitatem Dei: potentia



tribuitur Patri, sapientia Filio: benignitas Spiritui sancto. Denum funiculus triplex difficile tumpitur.

### CAP. XIV.

#### De die festo corporis Christi.

**P**rimo queritur. Quam antiqua sit huius diei festi celebritas? Ea est instituta ab Urbano IV. & quamvis sit multo recentior alijs Domini nostri celebritatibus: solemniori tamen, & frequentiori apud Christianum populum cultu, & veneratione obseruatur, & colitur. Extat in Clem. Si Dominus, de reliquijs, & venerat. Sancto. integra constitutio edita ab Urbano IV. qua incipit: *Transiturus de hoc mundo ad Patrem*: vbi Pontifex decernit, vt is dies festus colatur feria quinta proxime sequenti octauam Pentecostes. Iucundiorum porro huius diei festi cultum facit publica totius Cleri, & Populi supplicatio, quae dicitur Processio, eo die de more fieri solita, & peccatorum condonatio, quam Indulgentiam vocamus: quae benedictio Pontificis conceditur singulis, qui hoc die festo Diuinis officijs interfunt: vt habetur in Clem. *nuper allata: si Dominus, de Reliq. & venerat. Sancto.* Cuius solemnitatis officium D. Thomas Doctor Angelicus, & Ordinis Praedicatorum splendor, eiusdem Urbani IV. iussu mira cum deuotionis suauitate ob institutionis tanti Sacramenti memoriam cum suis Octauis, integrum composuit, & in omnibus orbis Christiani Ecclesijs laetissime cantatur, & recitatur.

### CAP. XV.

#### De die festo Transfigurationis Dominicae.

**P**rimo queritur. Quam antiqua sit Transfigurationis Dominicae solennis celebritas? In Graecorum Ecclesia hic dies festus videtur esse perantiquus. Nam in Monologio Graecorum die festi Augusti ponitur Transfiguratio Domini. At in Ecclesia Romana non videtur esse tam antiqua, ac vetus Transfigurationis Dominicae celebritas. Teste Platina, Calixtus III. constituit, vt die sexta Augusti coleretur, quia eo die Christiani insignem victoriam, superato & cincto ad Belgradum Turcarum exercitu, reportarunt, vbi etiam idem Platina testatur, hunc diem festum non solum Callistum III. instituisse, sed in eorum etiam peccatorum condonationes siue Indulgentias concessisse, quas ante concesserat Urbanus IV. in die festo corporis Domini: & horarum precationum officium, quod Clerici persolunt, fuisse eius auctoritate compositum, quod quidem Platinae testimonium tanquam falsum quidam rejiciunt, aiunt enim diem festum Dominicae Transfigurationis longe ante Callistum III. in Ecclesia Romana coli coepisse, quoniam Vuandalbertus, qui teste Sigiberto in Chronico, & Trithemio de viris illustribus Ordinis Sancti Benedicti, lib. 2. c. 36. vixit tempore Lotharij Imperatoris circa annum Domini 850. in suo Martyrologio, quod carmine conscripsit, de hac celebritate agit his verbis: *Idibus octauis mortem passura, crucemque Christi sancta caro, aeternam dedit ante figuram.* Et Durandus, & Beletus ante Callisti III. saeculum de Diuinis officijs scribentes huius diei festi sexta diei Augusti meminere. Praeterea extant conciones Leonis I. de Transfiguratione Dominicae.

Ceterum fortassis, quae apud Durandum, & Beletum leguntur de die festo Transfigurationis Dominicae, non sunt ab ipsis conscripta, sed ab alijs adiecta, & quod scripsit Vuandalbertus, ideo scripsit fortassis, propter Graecos, & Syros, qui hunc diem festum colebant. Leonis quoque I. Sermones non tanquam de festo, sed tanquam de arcano, & mirabili Transfigurationis Dominicae my-

sterio facere conscripti. Aut fortassis Callistus III. non diem festum instituit, sed Missae, & precationum officium composuit. Alicubi hic dies, vt festus seruator, & colitur, alibi vero non item. Certe necessitate, & praecipuo ex iure communi non colitur. Nec enim in c. *Pronunciandum, de Consecrat. distin. 3.* nec in c. *Conquestus, de Ferys,* nec alibi in iure communi inter dies festos obseruandos habetur.

Secundo queritur, Cur in montem ascendere Christus Dominus voluerit, vt gloriam suam ostenderet? omnes tres Euangelistae, Matthaeus c. 17. Marcus c. 9. & Lucas 9. eum in montem ascendisse dicunt, vbi transfiguratus est. Primo, quia mons locus erat ab hominum turba remotior, sic Euthymius, Matth. 17. *Solebat Dominus orandi causa in montem ascendere, vbi solitudo maior est, & caeli conspectus liberior: vt Mar. 6. Luc. 6.* Accedit quod plerumque maior Dei gloria in montibus, qui caelo propinquiores sunt, & ab hominibus remotiores, non item in vallibus ostenditur.

Secundo quia celsitudo montis quandam cum celsitudine illius maiestatis, quam ostendit in Transfiguratione, cognationem habebat.

Tertio in montem, inquit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, ascendit. Nam & pristinum populum apud montem & visionem, & voce sua Creator initiauerat, oportebat in eo suggestu consignari nouum Testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat. Erat illa res, dicit Hilarius in *Matthaeum cap. 17.* figuratio. Sed cur Dominus Transfigurari voluit? Respondent Hilarius, Chrysostomus, Euthymius, vt discipulos ob mentionem futurae mortis merentes consolaretur; id fecisse Theophylactus ait, vt probaret quod dixerat superiori capite, se in gloria Patris sui venturum esse.

Tertio queritur, Quis mons ille fuerit, in quo transfiguratus est Dominus noster? Ex Euangelistis non habemus nomen eius montis; solum Lucas dixit: Ascendit in montem: Matthaeus, & Marcus addiderunt: in montem excelsum: S. Petrus Epist. 2. cap. 1. Montem sanctum nominauit. Proprium igitur montis nomen Scriptura non expressit. Vereres Patres tradiderunt fuisse montem Thabor. Hieronymus [in Epist. ad Eutochium de Epitaphio Paulae:] In monte, inquit, Thabor transfiguratus est Dominus. Idem quoque testatur Damascenus [in oratione de Transfiguratione,] Euthymius in illud Psalm. 88. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Cyrillus Cateche. 12. Beda de Sanctis locis, cap. 17. Porro hunc montem describit Hieronymus Osea 5. Est, inquit, Thabor mons in Galilea situs, in campis rotundus atque sublimis, & ex omni parte finitus aequaliter. Beda vero loco citato hunc montem describit paulo latius: *Mons Thabor in medio Galilaea campo, in tribus millibus manens ad Boream a Genezareth distat, ex omni parte rotundus, herbosus valde, & floridus, altitudine triginta stadiorum, vertex ipse campestris, & multum amoenus, viginti & trium stadiorum dilatatur: vbi grande monasterium, grandi quoque silua circumdatur, tres Ecclesias habens iuxta quod Petrus dixit: Faciant hic tria tabernacula. Locus nuro cinctus grandia gestans adficia.*

Quarto queritur, Quoto aetatis anno Christus se transfigurauit? Quoto item mense, & Quoto die mensis, & Quota hora diei? De his nullum apud Euangelistas verbum. Graeci in Monologio sic habent in sexta die Augusti: *Transfiguratio Domini, & Dei Saluatoris nostri Iesu Christi.* Sic etiam in Calendario Syrorum. Existimo apud Syros, & Graecos traditionem Ecclesiasticam fuisse, Dominum sese transfigurasse ea die sexta Augusti: ac proinde videtur Transfiguratio Dominica contigisse anno aetatis Christi trigesimo secundo, aliquot mensibus transactis a nece Ioannis Baptistae, qui occisus est eodem anno tempore Paschali, teste Beda Mar. 6. Sed Durandus, & Ioannes Belerus locis supra citatis, docent Dominum transfiguratum fuisse initio Martij anno aetatis suae 33.

Matt.  
17.  
Mar. 9.  
Luc. 9.  
Mar. 6.  
Luc. 6.

currente, vno fere mense ante mortem suam: & Ecclesiam celebrare transfigurationem. 6. die Augusti: quia ea die Apostoli cœperunt palam dicere, quomodo in monte Dominus se transfigurauerit, vt nemini id dicerent, donec à mortuis resurgeret. Certe Ecclesia Romana *Dominica 2. Quadragesima* legit Euangelium transfigurationis. Epiphanius scribit hora quarta diei Dominicæ transfigurationis fuisse.

Quinto queritur, An Moses & Elias vere apparuerunt? *Glossa Matth. 17.* censet non ipsos vere apparuisse, sed eorum imagines, videlicet Angelos, qui in corporibus ex subiecta materia assumptis illorum personas induerunt; Sed communis est veterum Patrum sententia, eos vere apparuisse, quia Euangelistæ absolute, & simpliciter dicunt Moysen, & Eliam visos fuisse. Et cum historiam narrent, credendum est eos proprie locutos esse: neque enim res gesta per metaphoras narratur. Deinde, quia apparuerunt, vt Christi testes, vt ita de Euangelica veritate testimonium redderent. *Epiph. her. 64.* eos vere apparuisse dicit.

De Helia quidem questio non est, an integer, & totus apparuerit, in animo sc. & corpore, quia viuus adhuc permanet? De Mose difficultas est an ille apparuerit in suo, an in alieno corpore: quia tametsi nonnulli Patres senserint, eum adhuc etiam viuere; communiter tamen ceteri omnes tradiderunt eum mortuum fuisse, id quod videretur non obscure ex sacris literis colligi. Cum igitur fuerit Moyses morte sublatu, dubitatur an apparuerit in suo corpore. S. Thom. 3. *par. 9. 45. art. 3. ad 2.* dicit apparuisse in corpore, non proprio, sed ex subiecta materia assumpto, & diuina virtute formato.

At enim veteres Patres videntur sensisse eum apparuisse in suo corpore, non alieno. Nam Hieronimus & Hieronymus *Matth. 17.* eum ex mortuis resurgentem apparuisse dicunt. Chrysostomus quoque *homilia decimasextima in Matthæum*, & Damascenus, *in oratione de Transfiguratione*, eum resurrexisse testantur, Hoc est sane probabilius, sicut etiam Domino resurgente, multi sanctorum resurrexerunt, ab Euangelista narrantur, in suis corporibus, scilicet vt Dominicæ resurrectioni attestarentur. Creditur ergo Moyses suum corpus resumpsisse, & deinde post transfigurationem Domini illud deposuisse.

Sexto queritur, An Moyses, & Elias vsi fuerint oculis corporeis, an tantum mente, & spiritu? Ratio dubitandi est; quia si visi sunt oculis externis, quod modo Petrus cognouit eos, cum ipsos ante non nouerit, nec viderit vnquam eorum imagines? Hebræi enim mortuorum imagines depingere non consueverunt. Tertullianus videtur asserere visos fuisse Moysen, & Eliam in Transfiguratione Domini mentis, non corporeis oculis. Sed dicendum est, eos visos fuisse oculis corporeis: id enim colligi videtur ex Euangelistis, & Petrus diuino afflatu cognouit esse Moysen, & Eliam. Et hoc est, quod Tertullianus dixit, in spiritu cognouisse, hoc est instinctu, & impulsu Dei instructum, & diuinitus edoctum. Potuit etiam eos cognoscere ex sermone quem Christus cum ipsis habuit; audiuit enim eos colloquentes. Verisimile autem est in ipso colloquio Christum Dominum eos subinde suis nominibus appellasse.

Septimo queritur, An Moyses, & Elias apparuerint in corporibus gloriosis? Ratio questionis est, quia *Luc. 9.* dicitur: *erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* Dicendum est, solum corpus Domini visum esse ibi gloriosum: sed ex splendore corporis Domini quidam fulgor deriuabatur in montem ipsum, & in corpora Moysi, & Eliæ, vnde gloriosa apparebant: quia in illo lucidissimo domini corporis splendore videbantur.

Octauo queritur, Cur apparuerint ex Patribus veteris Testamenti Moyses, & Elias? Respondeo, multis de causis eos apparuisse. Primum, vt ex Lege, & Propheta testimonium Christus Dominus haberet. Apparuit Elias tanquam nomine Prophetarum: apparuit Moyses tan-

quam Legislator, qui multa, quamuis recte, & obscure de Christo Domino conscripserat & dixerat *Prophetam* (air quodam loco ille) *de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsam audies.* Apparuerunt autem hi duo, quia fuerunt gloriæ Domini studiosissimi. Præterea, vt ait Sanctus Chrysostomus *homilia quinquagesima octaua in Matthæum*, multi putauerunt Christum esse Moysen, & Eliam, quare apparuerunt Moyses & Elias, qui profiterentur se seruos esse, & Christum esse Dominum. Adhæc apparuerunt Moyses, & Elias, vt ostenderetur, Christum esse Dominum mortuorum, & viuorum. Moyses vnus ex mortuis erat. Elias vnus ex viuus. Insuper apparuerunt hi Patres duo perantiqui, perque illustres rerum gestarum gloria, & magnificentia; Moyses quidem qui a Deo legem acceperat, & in monte cum Deo versatus fuerat: Elias vero, quia magnus zelator diuinæ legis fuit, & quia secundi futurus est præcursor aduentus.

Octauo queritur, cur Christus Petrum, Iacobum, & Ioannem secum assumpsit, vt essent suæ Transfigurationis testes; Chrysostomus, *homilia decimasextima in Matthæum*, & Damascenus *in Oracione de Transfiguratione*, & Sanctus Thomas, *tertia parte quasi. 45. art. 3. ad quartum respondens*, eos tres Apostolos nominatim esse a Christo Domino assumptos, quia illi potiores erant, atque etiam ceteris Apostolis catiores: hos enim tres habuit discipulos secretorum suorum capaces, quos ad res magis secretas solebat adhibere: vt patet ex *Mat. 14.* Petrus quidem, eo quod esset futurus caput Ecclesiæ, & erat primus Apostolorum, & Christum maxime, ac fortissime diligebat: Ioannes vero, eo quod erat Virgo, & futurus Euangelista, Propheta, & Martyr, Iacobus autem, eo quod post Petrum erat fide ardentissimus; & quod primus ex Apostolis esset palam martyrij consecratus. *Origen. tract. 7. in Matthæum*, Ambrosius, *Luc. 9.* Hieronymus, Theophylactus, Euphemius, *Matth. 17.* & Augustinus, *cap. 2. Epistola ad Galatas.*

Nono queritur, Quenam claritas fuerit ea, quæ in transfiguratione Dominica visa est? Fuit reuera nitus quidam splendor, & fulgor clarissimus visus in facie ipsius Christi, ita vt in ipso Christi corpore inhaerent. *Matthæus solum dicit: Et resplenduit facies eius sicut sol, Lucas. facta est species vultus eius altera, nitentium, non quod corporis substantia sit in aliam mutata, sed quod fuerit gloriose lumine perfusa. Sed quamuis hi duo Euangelistæ significare videantur solum in facie, siue vultu splendorem illum clarissimum apparuisse: nihilominus etiam Marcus Euangelista, nulla facta mentione vultus dicit: *transfiguratus est*, ac si diceret: totus ipse nouo gloriæ lumine resplenduit. vnde per totum Christi corpus fuit splendor diffusus. Hieronymus, *Epistola 61. ad Pammachium* ita scribit: *Sic & Dominus noster in monte transfiguratus est in gloria, non vt manus, ac pedes, ceteraque membra perderet, & subito in rotunditate vel solis, vel spheræ volueretur: sed eadem membra solis fulgore rutilantia, Apostolorum oculos perstringerent. Vnde & vestimenta eius mutata sunt in candorem, non in aerem, ne forte & vestes eius asperas spirituales: & facies eius fulgebat sicut sol. Vbi autem facies nominatur, existime quod & cetera membra conspecta sint, sic illic. Erat igitur fulgor clarissimus per totum Christi corp⁹ diffusus, & splendor ille suo modo deriuabatur in vestes, ita vt vestimenta candore, & splendore perfusa apparerent vt ait Tertullianus, *lib. de Resurrect. carnis*, & Auctor libri de Mirabilibus sacre Scripturæ *lib. 3. c. 10.***

Decimo queritur, An ij tres Apostoli testes Domini transfigurationis, viderint ipsam Christi diuinitatem? Quidam putant transfigurationem talem fuisse, vt in ipsa Christi diuinitas cerneretur, quod probare nituntur testimonio Damasceni *in oratione de Transfiguratione Domini*, & Nazianzeni *in orat. 49. de Fide*; qui dicunt diuinitatem in Transfiguratione apparuisse. Communis tamen est omnium sententia, non Christi diuinitatem, sed gloriæ

corporis lucidissimi visam fuisse: de hac enim omnes Evangelistae loquuntur, & Gregorius Nazianz. & Damascenus solum significant, Apostolos divinitatis signum oculis confixisse, videlicet ingentem illum corporis lucidissimi fulgorem, qui divinam Christi maiestatem significabat.

Vadecimo quaeritur, Quid significaverit nubes, quae in transfiguratione visa est? Respondeo, in nube solitam esse Dei maiestatem ostendi, ut patet ex multis Scripturae locis. Exod. 16. 24. ac 33. & 34. & 40. Vnde David Psalm. 107. dixit Qui ponit nubem ascensum tuum, qui ambulat super pennas ventorum: & Christus ad demonstrandam maiestatem suam dicit, se ad iudicium in nubibus caeli venturum, Matth. 24. Nubes enim est res caelestis, ac propterea declaratur per nubem divina maiestas, ut verus Deus, qui loquitur, & caelique dominator; non falsus, non terrenus princeps esse significetur. Et haec fuit causa cur in transfiguratione nubes descendit, ut vox illa, quae audita est. Hic est filius meus dilectus, non aeternus, quoniam Dei esse crederetur: ut Euthymius annotavit. Et fortassis ut Apostoli Dei loquentis maiestatem interposita nube ferre possent, nam eadem de causa Moysi per nubem locutum esse legimus, ut animaduertit Ambrosius.

Duodecimo cur nubes, quae descendit, fuit lucida? Respondent Chrysostr. & Theophylact. fuisse lucidam, non caliginosam, qualis esse solebat in veteri testamento, quia Deus non ad terrenum, sed ad docendum descendit: fortassis lucida fuit, ut rei, quae agebatur, id est, Christi gloriae, & transfigurationi concuniret.

CAP. XVI.

De die festo Inventionis Crucis.

Primo quaeritur, An iure communi colatur, & servetur dies festus Inventionis sanctae Crucis in e. Pronunciandum de consec. dist. 3. & c. Conquisitus, de Ferijs, huius diei festi nulla est mentio: at Romae & alibi hic dies festus servatur, & colitur, iuxta id quod habetur in c. crucis de consec. dist. 3. Vnde propter huiusmodi c. Crucis. Angelus, Syulter, Caeteranus, Tabientis, & Armilla inter dies festos, qui iure communi observantur, reponunt diem Inventionis sanctae Crucis in praedicto c. Crucis. ex Eusebio, qui Melchisedem, & Siluestrum praecessit, sic refertur: Crucis Domini nostri Iesu Christi, quae super nobis gubernacula S. R. E. tenentibus quinto Nonas Maij inuenta est, in praedicto Calendarum die Inventionis festum vobis solemniter celebrare mandamus. Et in Pontificali, nomine Damiani, in vita Eusebij legimus: sub Eusebij tempore, crux Domini nostri Iesu Christi 5. Non Maij inuenta est: baptizatur quoque Iudas post Cyriacus vocatus, crucis inuentor. Extrat primo tomo Conciliorum Epistola 3. Eusebij ad Episcopos Tulae, & Campaniae, ex qua sumpta sunt ea verba, quae habentur in c. Crucis, de Consec. dist. 3. Vnde huius diei festi 5. Non. Maij meminerunt omnia Martyrologia Latinorum, scilicet Romanum, Bedae, Visuardi, & Adonis, meminit quoque liber, qui dicitur Ordo Romanus, & Auctor Micrologi.

Secundo quaeritur, Quomodo Gelasius I. ut habetur in c. Sancta Romana, dist. 15. ait de Inventione sanctae crucis & alia scripta de Inventione capitis B. Ioannis Baptistae. Nouellae quidem relationes sunt, sed cum haec ad Catholicorum aures peruenierint, B. Pauli Apostoli sententia praecedat: [Omnia probate, quod bonum est, tenete:] Profecto Gelasius non est locutus in vniuersum de scriptis Crucis inuentae, sed de quibusdam quae eo tempore vulgo legebantur, & non erant satis certae, & probatae fidei. Non ergo loquitur de historia Dominicae crucis inuentae, quam tradiderunt Ambrosius in oratione de obitu Theodosij Paulinus Episcopus. 11. ad Severum: Sulpitius lib. 2. Historiae: Socrates lib. 1. cap. 17. Rufinus lib. 10. cap. 18. Cassiodorus in

Triparti. libr. 2. capit. 18. Nicophorus libr. 13. capit. 29.

Tertio quaeritur, An Christus Dominus humeris suis portauerit crucem, in qua passus est? Ratio dubitandi est, quia Lucas cap. 23. ait de Pilato Iesum vero tradidit voluntati eorum: Non autem auerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Et eodem fere modo loquitur Mattheus, & Marcus: dubitandum non est, quin Christus Dominus suis humeris crucem gestauerit. Nam Ioan. 19. expresse dicit. Et baiulans sibi crucem, exiit in eum, qui dicitur Caluariae locum. Tertull. lib. contra Iudaeos, ca. 10. Quis omnino regum in igne potestatis suae humero praesert, & non aut in capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliqua proprietate usus novus? Sed solus novus rex saeculorum Christus Iesus novam gloriam, & potestatem, & sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet: ut secundum priorem prophetiam, Dominus exinde regnaret à igno? Augustinus item tract. 117. in Ioannem. lib. 1. inquit, ad locum ubi fuerat crucifigendus, portans crucem suam Iesus, grande spectaculum. Sed si spectet impietas grande ludibrium, si pietas, grande mysterium, si spectet impietas, grande ignominia documentum: si pietas, grande fidei monumentum. Si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicij: si pietas, videt regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum: in eo spernendus oculus impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum. Dicitur enim Paulo: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: ipsam crucem suam suo gestans humero commendabat: & humerus: & lucerna arsurus, quae sub modico pondera non erat, candelabrum ferebat. Leo quoque ser. 8. de Pass. Domini. Traditus, inquit, Dominus scientium voluntati, ad irrisionem regia dignitatis sui supplicij esse gestator, ut impleretur quod Isaias praedixerat dicens: ecce natus est puer, cuius imperium super humeros eius. Cum ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quid in hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium: quia gloriosissimus Diaboli victor, & inimicorum virtutum potentissimus debellator. Cumque spectet triumphi sui portabat trophaeum & inuisibilem patientiam humeris, signum salutis adorandum regni omnibus inferabat. Euthymius quoque in Ioan. cap. decimo nono, ait: Ferebat crucem in humeris, tanquam strenuus miles lanceam, quae delectus erat aduersarium. Porro moris erat, ut homines crucifigendi, sui supplicij crucem deferrent. Plutarchus libr. de fera Numinis vindicta. Vnde Chrysostomus homil. 88. in Ioan. & Euthymius capit. 67. in Mattheum dicunt, in portam esse crucem Christo, tanquam reo condemnato. Immo etiam moris erat, ut per viam deducentes reum ad crucem diuexarent, & stultis operent, ut colligi potest ex Dionysio lib. 7. Antiquit. & Plaut. in Muffella.

Quaerens, Usque ad quem locum Christus Dominus crucem portauit? Communis est sententia, eum portasse vsque ad eum locum, in quo occurrit illi Simon Cyrenaeus: hoc enim videtur significare verba Evangelistarum, dicentium: Angariaverunt Simonem, ut tolleret crucem eius, & imposuerunt ei crucem portare post Iesum. Sic Hieronymus, Theophylactus, Euthymius in Mattheum cap. 27. & Augustinus lib. 3. de Consec. Evangelist. ca. 10. Origenes tract. 35. in Mattheum. Athanasius orat. de Passione, & cruce Domini. Hoc etiam est, quod significat Lucas cap. vigesimotertio. Imposuerunt crucem Simoni, ut deserrer post Iesum, id est, postquam eam Christus portauerat. Vel (post Iesum) id est, ut Christo praesente, sequeretur Simon crucem gestans. Caeteranus haec Lucae verba explicans, ait: Christus ferebat illam ex anteriori parte, Simon vero ex posteriori, & stabat post Christum. Nec Ioannes cap. 19. significat, Christum portasse crucem vsque ad locum supplicij, nam cum dicit. Et baiulans sibi crucem exiit in eum, qui dicitur Caluariae locum: solum innuit existisse ad supplicij locum crucem gestantem.

Quarto quaeritur, An Christus Dominus fuerit in cruce

Ioan. 19.

Pf. 95.

Gal. 5.

Mat. 5.

Isa. 9.

Ioan. 19.

10a. 20.

cem actus, clavis affixus, an vero solum, vt S. Andreas A-  
postolus, funibus alligatus? Respondeo, certa, atque in-  
dubitata fide credendum, fuisse clavis affixum: nam Ioan.  
20. dixit Thomas: *Nisi videro in manibus eius fixuram cla-  
uorum, non credam*, Cui postea dixit Christus. *Infer digitum  
tuum huc, & vide manus meas.* & reliq. Ioannes item ca. 19.  
dicit esse impletum Zachar. 12. *Videbunt in quem transfixe-  
runt.* Apud Romanos etiam mos erat, non solum reos  
cruci funibus alligare, sed etiam clavis affigere.

An vero sic etiam duo latrones fuerint in crucem acti?  
Vulgo receptum est eos in cruce suspensos, funibus alli-  
gatos, non clavis affixos, & ita pingi solent: verum qui-  
dam aiunt eos fixos fuisse eo modo, quo Christus est cru-  
cifixus: quia cum Helena crucem Dominicam inuenit,  
miraculo opus fuit ad discernendum eam ab alijs. Nihil  
autem opus fuisset, si clauorum vestigia in vna tantum  
cruce essent.

Quinto quaeritur, Quot clavis fuerit Christus Do-  
MINVS affixus, tribus, an quatuor? Communis est sen-  
tentia, fuisse tribus tantum clavis affixum, ita vt vno cla-  
uo ambo pedes, vno alteri supposito, confixi fuerint. At  
Gregorius Turonensis, l. 1. de Gloria Martyrum ca. 6.  
ait, in stipite crucis fuisse tabulam quandam, in qua  
Christi pedes singulis clavis confixi fuerint, & addit.  
*Clauorum Dominicorum, quod quatuor fuerint, hac est ratio,  
duo affixi in palmis, & duo in plantis.* Et Cypria. sermo. de Pas-  
sione ait: *Clavis sacros pedes terebrantibus.* Idem habetur pri-  
mo libro Reuelationum B. Brigittae cap. 10. Communi-  
ter quidem depingit solet CHRISTVS in cruce pen-  
dens tribus clavis affixus: sed reperuntur tamen anti-  
quae imagines, in quibus Christus depingitur quatuor  
clavis confixus. In historia de Inuentione tantummodo  
legimus, Helenam curasse, vt vnus clavis in freno equi,  
alter in clypeo Constantini poneretur. Et Plautus in Mu-  
stellaria videtur ex more loquutus. *Ego dabo ei talentum,  
primum, qui in crucem excuterit, sed ea lege, vt affigantur bis  
pedes, & bis brachia.*

Sexto quaeritur, An Christus fuerit cruci affixus in ter-  
ra solo? hoc est, An priusquam crux erecta fuerit, & in  
terram defossa, Christus in ea iacente fuerit affixus, an ve-  
ro & contrario, prius fuerit crux in altum erecta, & deinde  
Christus in ea affixus. Verique modus fuit in more pos-  
itus apud Romanos, vnde in Actis de Rionio Martyre legitur.  
*Vltro se vestimtus se spoliavit, & in calum suspiciens, ac Deo gra-  
tias agens super lignum scissum extendit, militibus tradidit, vt  
clavis configeretur, & mox dicitur: eum igitur ligno fixum ere-  
xerunt.* Alter modus crucifixionis colligitur ex Cicerone  
orat. 6. in Verrem. & pro Rabirio. Suetonio in Galba. c. 11. Io-  
seph. lib. 7. de excid. iudeo. Quidam aiunt, id factum esse in  
Christo primo modo: tum quia hic modus erat facilior  
ad crucifigendum Christum: tum etiam vehementior ad  
eum affligendum, & excruciantium. Alijs vero magis pla-  
cet, erectam crucem fuisse, vt in ea eleuatus Dominus  
crucifigeretur. Ita Bonauent. in Meditationibus vita Christi  
cap. 78. Ludolphus par. 2. vita Christi cap. 63. Certe veteres  
Patres, crucifixionem Christi ascensum in crucem appella-  
bant. Ambrosius libro decimo in Lucam. c. Qualiter  
Christus crucem ascenderit. Refert, inquit, considerare,  
qualis ascendat. Cypri. sermon. de Passione Domini: *Ascendisti  
domine in palmam, quia illud crucis tuae lignum portendeat  
triumphum de Diabolo.* & Gregorius Cantu. 7. explicat il-  
lud: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius: quia  
in cruce suspensus fructum vita apprehendit, iuxta illud, Genes.  
40. de Iuda, ad praedam sili mi ascendisti.* Hunc modum vbi-  
tatum magis fuisse apud Romanos indicant illae Phrasae,  
Tollere, agere, ferre, & dare in crucem.

Can. 7.

Septimo quaeritur, An Christus omni ex parte nudus  
fuerit in crucem actus: Ex Euangelistis constat, milites  
eius vestimenta diuisisse, & super tunicam inconfutilem  
misisse sortem. S. Brigitta loco supracitato inducit B. Virginem,  
sic loquentem: *stante filio meo, sicut natus erat, nudo  
corpore, vnus tunc accurrens apportauit sibi velamen: quo ipse*

*exultans intimo, velabat verenda sua.* Et coniectura est,  
Christum prius tectum aliquo velamine fuisse, quam cru-  
cifigeretur: non enim videbatur Christi personam dece-  
re, vt nudus omnino in cruce penderet. Vnde communi-  
ter depingitur cum velamine tegente eam corporis par-  
tem, qua natura occultauit. Nihilominus S. Bonauentu-  
ra, & Ludolphus dicunt, Christum omni ex parte nudum  
fuisse in cruce, & voluisse Christum se hoc etiam dede-  
re, & ignominia affici. Ambr. loco supra memorato: *Re-  
fert, inquit, considerare, qualis ascendat nudum video: talis  
ascendit, qualis nos auctore Deo, natura formauit.* Talis in Pa-  
radiso homo primus habitauerat: talis ad Paradisum homo se-  
cundus intravit, Athanasius inquit, de Passione &  
cruce Domini: *Excubat, inquit, vestimenta sua, decebat e-  
nim, vt hominum introduceret in Paradisum, excute tunicas,  
quas Adam accepit, cum in Paradiso eijceretur.* Augustinus lib.  
16. de Ciuitate Dei cap. 2. & lib. 12. contra Faustum cap. 263.  
Cyprianus epist. 63. Eucherius & Rupertus in Genesim ai-  
unt, eiusmodi Christi nuditatem adumbratam fuisse in  
Noe Genes. 9. qui cum vineam plantasset, inebriatus vino  
illius, minus nudus iacuit in terra. Certe moris erat Ro-  
manis, vt cum ventum erat ad locum supplicij, spolia-  
rent hominem; & sic eum in crucem dabant, vt  
colligitur ex Artemidorolib. 12. cap. 58. veluti natu-  
rae suae, que nudos nos induxit in vitam, & educit.

Octauo quaeritur, An Christus Dominus cum spinea  
corona fuerit cruci affixus? Communis est sententia, co-  
ronatum spinis in crucem actum fuisse. Ita Origenes Tra-  
ctat. 35. in Marth. De chlamyde, inquit, scriptum est, quoniam  
denis despoliauerunt eum chlamydem coccineam. De corona  
autem spinea nihil tale Euangelista scripserunt, propterea quod  
et nos quarete voluerit exitum rei de corona semel imposta, &  
nunquam detracta. Cyprian. in sermone de Passione Domini,  
Christum in cruce pendentem alloquitur sic, *Consideraui  
opera tua, & expaui, clavis sacros pedes terebrantibus, fossisque  
manibus de vulnerum anxietate non loquere: de spinis sacrum  
caput pungentibus non querere.* Item Tertullianus lib. ad-  
uersus Iudaeos cap. 13. *Isaac cum ligno seruiatus est, arietem ob-  
lato in vepre cornibus harente. Et Christus suis temporibus lig-  
num humeris suis portauit in harenis cornibus crucis, corona spi-  
nea in capite eius circumdata.* Ita illi Patres.

Nono quaeritur: Vndenam sumptum sit id, quod ca-  
nit Ecclesia in officio sanctae Crucis:

*Impleta sunt quae conuenit  
Dauid fidelis carmine,  
Dicens: In nationibus  
Regnauit à ligno Deus.*

Ratio dubitandi est, quia illa particula (à ligno) non  
reperitur in Hebraeis Scripturae sacrae codicibus, nec a-  
pud vulgatae editionem in Latinis nec in Graecis apud  
Septuaginta. Respondeo, in Psalmo 95. versiculum il-  
lum. *Commouentur à facie eius vniuersa terra: dicit in Gen-  
tibus, quia Dominus regnauit. veteres Patres legisse. Dicit in  
Gentibus, quia Dominus regnauit à ligno.* Ita legit Iustinus  
Martyr in Dialogo contra Tryphonem Iudaeum, addens par-  
ticulam (à ligno) malitia Iudaeorum expunctam esse ab  
textu Hebraico: sic etiam legit Tertullianus lib. aduersus  
Iudaeos cap. 10. Cyprianus de Monte Sina, & Sion, Augu-  
stinus, Arnobius, Cassiodorus in eundem Psalmum 95.  
Ambrosius l. ad Corinth. 15. Leo. sermon. 4. de Passione Domi-  
ni. Inter Catholicos sunt, qui Iustinum Martyrem se-  
cuti dicant, malitia Iudaeorum corruptos esse codi-  
ces Hebraeos, qui nunc extant. Alij vero, duplicem  
fuisse dicunt lectionem Hebraicam, vnā, sine particu-  
la (à ligno) alteram cum ea particula: tunc vero solum extra-  
re codices illa particula (à ligno) carentes. Alij vero, putant  
illam particulam (à ligno) explicationis gratia addidisse  
veteres Patres, qui Paraphrastico more aliquando inter-  
ponunt aliqua ad locos scripturae obscuriores illustan-  
dos. Et ex illis accepta est eiusmodi particula, & posita in  
Psalterio veteri, & Romano, & Ecclesiastico hymno.

Decimo quaeritur, Quo pacto sit verum Busebij 1. De-  
cretum

Gen. 11.

Gen. 21.

P. 91.

crem in *c. crucis dist.* 3. nimirum suo tempore inuentam esse crucem Dominicam? Ratio dubitandi est duplex. Prima, quia Eusebius *Cæsariensis in tribus quatuordecim libris de vita Constantini Magni*, cum meminisset Helenæ, & narraffet ea, quæ studio Christianæ religionis egerat, nihil prorsus scripsit de cruce ab ea inuenta, cum res esset alioqui omnium ore testatissima. Altera, quia illud decretum Eusebij parum, aut nihil coherere videtur cum ipsa Historiæ narratione. Nam Eusebius obiisse fertur antequam Constantinus ad Christi fidem, & religionem conuerteretur, & ex historijs constat crucem esse inuentam ab Helena Constantini matre, ab soluto iam Nicæno Concilio: quo tempore Siluestro post Melchiam, qui Eusebio successerat, Petri sedem tenebat.

Respondeo ad primum, plus in hac parte valere auctoritatem Ambrosij, Paulini, Sulpitij, Soeratis, Theodoretij, Rufini, & Cassiodori, referentiam inuentam crucis historiam, quam vnius Eusebij, qui eam silentio præterit. Ad aliud vero quod supra obijciebatur, quidam respondeant, in eo Decreto, & epistola Decretali, Eusebium positum esse pro Siluestro, nam Inuentio crucis, Siluestri tempore videtur contigisse. Alij vero, inuentam esse crucem ab Helena tempore Eusebij Papæ, non Syluestri, nam Imperatore Constantino; Eusebius Ecclesiam gubernabat, & Helena Constantini mater, non post Nicænum Concilium peractum, sed paulo post victoriam, quam de Maxentio Constantinus reportauerat, Hierosolymam petij gratia inuisendi loca sancta, & tunc ibi crucem inuenit. Sed certe verisimilius eo, vitiatum esse illud decretum, & pro Eusebio legendum esse Syluestrum.

Vltimo quaeritur, Quis sit illud quod Evangelistæ narrant de Christo in cruce actum, & in cruce pendenti datum esse vinum myrrhatum, vt Marcus ait *cap. 15.* aut vinum cum felle mixtum, vt dicit *Matth. cap. 27.* Theophylactus, & Euthymius aiunt verumque esse illud dari & oblatum, sed à diuersis, alius aliud offerebat, & ita quidam obtrahunt vinum cum myrrha mixtum, alij vinum sine aceto cum felle. Augustin, *lib. 3. de consensu Euang. c. 11.* Evangelistas sic conciliatos, ait, fuisse illi vinum datum cum myrrha & felle mixtum, vt esset amarus, aut *Matth. eum dixisse vinum cum felle mixtum, id est, amarissimum, & Marcum item significasse eum dixit vinum myrrhatum: est enim myrrha amarissima.* Vnde omnes conueniunt apud Marcum vinum myrrhatum intelligi amarissimum. Augustinus Beda, Strabus, Theophylactus, Euthym. Caietan. Maior, & alij. Id milites fecerunt ex malicia Iudæorum: nam cum vinum dari soleat ad confirmandum animum, Iudæi fecerunt ex odio & malevolentia, vt milites Christo darent vinum amarissimum. Quidam dixerunt, à pijs mulieribus, quæ Christum lamentantes sequebantur, vinum myrrha commixtum datum fuisse, quod tormenta, & cruciatos subituri dari solebat, vt conditi vini ardore alienatis sensibus dolorem, aut nullum, aut minorem sentirent: à militibus vero ex crudelitate, & odio Iudæorum datum fuisse vinum cum felle mixtum. Et quia à pijs feminis vinum propinabatur ad sensus alienandos, non accepit Dominus. Non placet, quia reuera vinum myrrhatum datum est, quia erat amarissimum: noluit vero Christus, quia vinum erat, vt in cæna dixerat se non bibiturum de genuimæ vitis, donec biberet illud nouum resurgens ex mortuis. Alij vinum myrrhatum datum esse Domino dicunt à pijs hominibus, hoc est, vinum ex myrrhinis vasis trahens odorem iucundum & gratum, quod ad conseruandum & recreandum valebat: & ideo illud Dominus refutaui. Hoc mihi placeat, nisi communis esset omnium interpretum sententia, vinum myrrhatum apud Marcum intelligi vinum amarissimum.

Si quaeras quare mons, in quo crucifixus est Dominus, dicitur sit Caluarie locus. Multi veteres Patres dixerunt, antiquam esse traditionem, ibi sepultum esse primum

hominem, qui fuit totius generis humani caput, & ideo dicitur esse illum montem, Caluarie locum, hoc est, locum & sepulturam capitis. Sic Tertullian. *lib. 2. contra Marcionem.* Origen. *tract. 35. in Matth. Basil. in Levit. cap. 5.* Athanas. *de Passio. & cruce. Epipha. heresi. 40.* Chrysof. *homil. 84. in Io. Ambros. lib. 5. epist. 9. August. ser. 71. de temp. & quæst. 101. in Gen.* Cyprianus siue quicumque est auctor libelli de operibus cardinalibus. At S. Hieron. *in epist. ad Ephes. ca. 5.* & *in Mat. ca. 27.* hanc traditionem non recipit, & ait locum illum esse dictum Caluariam, eo quod esset locus, in quo damnati capite amputabantur, quasi dicitur sit locus decollatorum. Sed nec est, quod antiquam traditionem, & maiorum nostrorum sententiam deseramus, nec quod negemus locum illum dictum esse Caluariam duplici ratione, & quod ibi esset sepultura primi hominis & capitis, & quod esset locus decollatorum: decuit, vt ibi Christus moreretur, vt ibi primus homo fuerat sepultus: decuit itidem, vt ibi erat arca damnatorum, ibi erigerentur pro illa martyrum, decuit, vt sicut CHRIVS factus est pro nobis maledictum, sic pro omnium salute, quasi reus inter reos crucifigeretur. Denique, vt sicut in Adam omnes mortui sunt, sic in CHRISTO omnes viuificentur.

## CAP. XVII

### De Annuntiatione Beatissimæ Virginis Mariæ.

PRIMO quaeritur, Quot festos dies in honorem B. Virginis Mariæ colat & obseruet Ecclesia? Respondeo in *cap. Conquestus, de Ferijs* ex Gregorio IX. inter dies festos numerari omnes festiuitates, vt ibi dicitur, B. Virginis, & in *cap. Pronunciandum de consec. dist. 3.* ex Concilio Lugdunensi recententur tantummodo tres, celebritas nempe Purificationis, Assumptionis, & Natiuitatis, vbi omittitur dies Annuntiationis. Sed dubitandum non est, quin eo tempore huiusmodi dies festus coleretur. Et annotant in *dicto c. Conquestus, de Ferijs*, Hostiensis, Ioannes Andreas, & Panormitanus, nomine festiuitatum B. Virginis intellexisse Gregorium IX. quatuor celebritates, videlicet, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, & Natiuitatis: nam quatuor huiusmodi dies festi ab antiquis Ecclesie temporibus ante Gregorium IX. obseruabantur. Item dicit Hostiensis in *c. Conquestus, Annuntiatione celebratur in Vere. Assumptio in Aetate, Natiuitas in Antumno: Purificatio in Hyeme, vt quatuor anni tempora singulari B. Virginis patrocinio defendantur. Item, vt sint veluti quatuor gemmae in corona anni mirabiliter constitutæ: item, vt quatuor B. Virginis celebritates totum annum succedant: sicut quatuor flumina Paradisum irrigant. Præsertim, vt quemadmodum venti principales quatuor Mundi partes persolant, sic quatuor festi dies Deiparæ Virginis meritis, & precibus, per quatuor anni tempora recreemur, foueamur, & seruamur incolumes.*

Secundo quaeritur, Cur Christus Dominus mensem Martium elegerit in quo conciperetur? Respondeo, multis de causis hunc mensem elegisse. Primo quia in Martio creatus est mundus, vt affirmat Athanasius *quæst. 9. & 17. ad Antiochum.* Augustinus in *Quæstionibus ex veteri Testamento, cap. 8. & in Quæstionibus ex vitroque Testamento* (si tamen Auctor eius libri ille sit) *q. 106.* decuit igitur, vt illo mense, quo creatus est mundus, Dominus secundum carnem conciperetur, ad eum reparandum, atque redimendum. Deinde in mense Martio aquæ Diluuij, quæ totam terram operuerant, intra suos terminos *Gen. 8.* conclusæ sunt: cepit enim inundatio aquarum mense secundo, *Genes. 7.* hoc est, mense Aprili, vt annotauit Ambros. *li. de Noe cap. 17.* & durauit vndecim mensibus vsque ad Martium, qui fuit primus mensis, in quo imminutæ sunt aquæ. Conceptus est itaque Dominus mense Martio, vt tunc peccatorum colluuius cessaret, quando finita est aquarum inundatio. Tertio, in mense Martio facta est

liberatio Israeliici populi, qua solum est, vel potius contractum durum illud Aegyptiacae seruitutis, qua premebatur iugum. *Exod. 19.* Mense igitur Martio conceptus est Dominus, ut totum genus humanum a saeva, & immani tyrannide, & imperio Dæmonis liberaret. Quarto, in mense Martio Sol, qui est velut mundi oculus, ingreditur in signum Arietis: in eodem mense Christus lux mundi, in vtero Virginis conceptus, & tanquam agnus, ut esset victima, & hostia pro totius mundi peccatis. Quinto, in mense Martio Sol incipit esse in signo Arietis: decuit enim, ut Christus sol iustitiae eo mense conciperetur, quia venit ut pastor gregem suum reduceretur in caulam & Euangelij pabulo sustentaturus. Sexto, in mense Martio dies cum noctibus equantur, & propterea fit aequalitas dierum & noctium: eodem mense conceptus est Dominus, ut peccatores ad iustitiam reuocaret, & eos iustis pares efficeret: & mundana, quae nox peccatorum ignorantiae tenebris operuerat, cum ecclesiis sociaret, & reconciliaret imasummis, pacem denique faceret inter homines, & Angelos. Septimo, in mense Martio incipiunt augeri dies, & noctes decretere: decuit itaque, ut in eo mense Dominus conciperetur, ut ita inciperent minui veteris legis umbræ, & tenebræ ignorantiae Gentium: & simul inciperet Euangelij, & gratiae diuinæ lux. Octauo mense Martio finitur hyems, & incipit ver nouum: incipiunt decretere hybernae pluuia, & frigora, liquefieri niues, cantillare volucres: Eo igitur mense conceptus est Dominus, ut inciperet noua lex gratiae, minueretur peccatum, duræ improborum mentes mollieretur, & iusti, ut Deipara, & Elisabeth, & Ioannes Baptista, diuinas laudes duleiter decantarent. Nono, in mense Martio saltitant, & exultant agai, eo quod ver nouum incipiat: mense Martio concipitur Christus, incipit noua lex charitatis, & gratiae: saltat, & exultat tanquam agnus in vtero matris, Ioannes Baptista. Decimo in mense Martio incipiunt omnia renouari, plantæ virefcere, ut flores deinde, & fructus emittant. Eo mense conceptus est Dominus, ut omnes Mundi gentes inciperent respicere ad nouam, & meliorem vitæ frugem conuersæ, ut flores, & fructus iustitiae facerent.

Luc. 1.

Gen. 1.

Gen. 2.

Tertio quaeritur, Quoto die mensis, & hebdomadæ conceptus est Christus? Traditio habet Ecclesiastica eum conceptum esse die 25. Martij: & constat ex supputationibus Astronomicis, ea dies erat sexta feria hebdomadæ, scilicet dies Veneris: nam eo anno littera Dominicalis erat B. & dies Veneris erat G. Decuit sane, ut in die Veneris Dominus conciperetur: ut sicut primus Adam terrestri creatus est sexta die hebdomadæ, ita secundus Adam caelestis sexta die conciperetur. Item primus homo sexta die peccauit, & cecidit: Christus etiam sexta die primi hominis redemptionem incepit, & postea trigesimo tertio vitæ suæ anno consummauit sexta feria: nam die Veneris mortuus est, ut constat *Ioan. 19.* Præterea sexta die primus homo de terra formatus, positus est à Deo in Paradiso Voluptatis *Genes. 2.* Filius Dei quoque in sinu Patris ex omni aeternitate progenitus conceptus est secundum carnem sexta die in vtero Virginis, tanquam in Paradiso deliciarum, id est, charissimum, & virtutum. Primus homo fuit in Paradiso positus, ut custodiret illum, & excoleret: ita Christus Virginem, matrem suam custodiuit, & exornauit: liberam & immunem ab omni peccati labe, integram animo & corpore seruaui.

Quarto quaeritur, Quota hora diei conceptus est Christus? Diuersi diuersa tradiderunt: quidam putarunt, appetente nocte Angelum ad Virginem venisse, & eam saluasse, cum ea sermonem habuisset usque ad mediam noctem, & tandem Virginem suam praefuisse consensum, & tunc Filium Dei in eius vtero secundum carnem fuisse conceptum. Alij vero dicunt Angelum B. Virgini apparuisse initio diei, videlicet in aurora matutina; Et tunc Christum esse conceptum. hi mouentur auctoritate Athanasij in sermone de Deipara ad finem, vbi dicit, ab An-

gelo salutatam fuisse B. Virginem in exordio diei, & eadem hora, qua Sol inchoat diurnum cursum suum, ac incipit in nostro hemisphærio apparere. Christum solem iustitiae tanquam gigantem suum iter inchoasse, & in nostro hemisphærio secundum carnem esse coepisse.

Meo iudicio, fuit conceptus media nocte desinente, & incipiente iam die. Id probat triplici ratione. In primis, quia Christus Dominus natus est media nocte finiente, cum dies inchoabat, videlicet vigesima quinta Decembris: sic enim habet Ecclesiastica traditio. Ut ergo essent integri, & perfecti nouem menses à die qua conceptus est, usque ad diem, in qua natus fuit, conceptus est in eadem hora diei vigesima quintæ Martij. Deinde, ut vtroque tempore impleteret, quod dictum fuerat in libro Sapientie, *cap. 18. Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Dominus à regalibus sedibus venit.* Durus videlicet debellator in medio extremi tempore exiliuit nimirum die vigesima quinta Martij venit verbum Dei in vterum Virginis ex sinu Patris: & die vigesima quinta Decembris processit in mundum ex vtero matris virginali. Postremo: ut responderet veritas figuræ: nam Angelus Dei media nocte iussu Domini venit ad occidenta primogenita Aegyptiotorum, & ad liberandum israeliticum populum *Exod. 12.* ut in terram patribus promissam reduceretur. Ita Christus magni consilij Angelus: media nocte conceptus, & natus est, ut populum suum à potestate Dæmonis liberaret, & primum hominis peccatum destrueret, mortem exterminaret, & suos in vitam æternam reduceret.

Quinto quaeritur, Cur Deus voluerit arcanum incarnationis mysterium per Angelum nunciari? Multis de causis id voluit Dominus Deus: Primum, ut seruarietur ordo, quem Deus ipse in principio constituerat: ministerio enim Angelorum diuina hominibus panduntur, vltima cum supremis per media copulerentur. Secundo, ut modus in erigendo, & redimendo homine, responderet modo, quo ille ceciderat in captiuitatem, seruitutem, & miseriam. Ut sicut femina mali Angeli verbis inducitur, primum homini perniciem, & mortem intulerat, sic altera femina boni Angelus dictis instructa, Mundo salutis auxilium afferret, atque in lucem eaderet. Tertio: ut inter Angelos, & homines pax componeretur: Erat Angelus iratus in hominem, quod Deum Angelorum tegem, & Dominum offendisset: conquirebatur homo quæsi iniuria, & damno affectus, quod Angeli, quamuis mali arte maligna, & callida astutia in tot & tantas vitæ miserias inciderat: nisi. \* Archangelus est, ut ambo reconciliarentur. Quarto, cum lis, & bellum est inter magnos Reipublicæ Christianæ Principes, solet summus Pontifex Legatum à latere mittere, qui litem dirimat, pacem componat, bellum impediatur, ne Christianæ Republicæ Principum discordia, & inimicitia discissa, atque dissoluta peteliteretur. Erat inter terrestria, & caelestia, inter diuina & humana, denique inter Deum & hominem lis, & bellum, mittitur Legatus à latere, hoc est, Angelus ex curia caelesti, qui omnia rite componat, vel pacem & concordiam reducat, ne mundus in studia Principum contraria diuisus intereat. Quinto, inter magnos Principes non solet matrimonium celebrari sine aliquo eximio, & insigni peranympho. Triplex erat spirituale matrimonium contrahendum: videlicet inter Deum, & B. Virginem, nam Spiritus sanctus erat Virginem in sponsam accepturus: inter Deum & humanam naturam, quia proculdubio futurum erat, ut Filius Dei eam mirabili incarnationis vinculo sibi coniungeret: & inter Deum, & Ecclesiam Euangelicam, quouiam Deus erat eam sibi in fide, spe, & charitate singulari copulaturus. Mittitur ergo de caelo patanymphus eximius & insignis, nimirum Angelus, non quilibet, sed primus suæ hierarchiæ. Sexto decuit, ut mitteretur ad Virginem omni peccati labe immunem ac liberam Angelus, qui est puræ, integræ, & virginalis vitæ cultor, & custos.

Sap. 18.

Ija. 9.

Gen. 1.

Sexto quaeritur, Cur inter Angelos electus est Gabriel ad Incarnationis mysterium B. Virgini nunciandum? Profecto conuenit nomen cum officio, quod fecit. Gabriel nimirum idem est, quod fortitudo Dei. Magnum reuera fuit fortitudinis opus persuadere Virgini, quae erat summa cuiusdam humilitatis, vt crederet se ad tantum dignitatis gradum diuinitus taceam, vt esset Dei mater futura. Magnum fuit persuadere ei, quae virginitatem Deo sancte vouerat, vt crederet se concepturam, & parturam filium saluo, & incolumi virginitatis pudore. Magnam fuit, ita cum B. Virgine negotium peragere, vt non solum impetratum fuerit, quod postulabatur ab ea, sed id etiam obtentum, vt illa seipsum offerret: *Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Deinde quid potentius quam facere, vt homo sit Deus? hoc enim facere, est infinitae, & diuinae potentiae, atque virtutis. Recte igitur, Gabriel Angelus dicitur, qui venit nunciaturus fortissimum Dei factum. Quid potentius, quam per carnem infirmam, quam Diabolus per peccatum deiecerat, infero: om potestates vinci, carum Vasa, & spolia diripi? hæc autem fecit Filius Dei humana carne vestitus. Ergo merito fortitudo Dei appellatur Angelus, qui est eorum missus, vt tale opus nunciaret. Testatur Glossa *Daniel. 8.* Gabrielem esse ducem praesentium praefectum a Deo: recte ergo mittitur nunciaturus bellum, quo erat Christus pugnaturus cum Diabolo, Peccato, Morte, atque inferno. Item Gabriel sonat, quod Latine vir Deus: merito ergo mittitur Gabriel ad nunciandum Incarnationis mysterium, atque arcanum a saeculis absconditum, quo futurum erat, vt Deus esset homo, & homo Deus. Ad extremum *Daniel. 9.* Gabriel Angelus Danieli praedixit tempus aduentus Domini futuri: ac proinde recte mittitur ad nunciandum Virgini, impletum esse tempus, quo Dominus secundum carnem eratur in eius uterum venturus.

Septimo quaeritur, ex quo Angelorum ordine sit Gabriel missus ad B. Virginem? Est ex ordine Archangelorum, qui est secundus in infima hierarchia, quae constat Principibus, Archangelis, & Angelis. *Irenaeus lib. 5. c. 25.* Ambrosius *lib. 5. de Spiritu sancto cap. 7.* Augustinus *sermon. 14. de Natali Domini.* Gregorius *hom. 34. in Euangelia.* Hefychius *hom. 1. de S. Deipara. S. Thomas 3. part. q. 30. art. 3. ad quartum.* Quæritur: An sit supremus omnium Archangelorum? Est. Ita Gregorius, Hefychius, & S. Thomas loquuntur supra citatis. Quæritur etiam, An Michael sit illo superior? Est: Ita Hieronymus *Dan. 9. Rupert. lib. 5. in Apocalypsin cap. 1.* quia Michael est ex ordine Principatum, qui est supremus ordo in vltima hierarchia, sub quibus sunt Archangeli, & Angeli. Praesentem autem Principatum prouinciarum, & regnis. Vnde *Dan. 10.* legitur: *Principi regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus. Et ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.*

His nihil obstat, quod Gabriel dicitur, non Archangelus, sed Angelus, cum tamen sit ex ordine Archangelorum, & Michael vocetur Archangelus in Ecclesiastico officio, tamen ex ordine Principatum sit. Quia sicut ex omni hierarchia & ordine spiritus caelestes communi vocabulo appellari solent Angeli; sic etiam Michael appellatur Archangelus, quamuis alioqui sit ex ordine Principatum: quoniam omnes Spiritus caelestes superiores infimo Angelorum ordine, communi vocabulo Archangelis, hoc est, primarij, & principales Angeli, dici consueverunt.

Octauo quaeritur, In qua specie, & figura apparuit Virgini Gabriel Angelus? Creditur apparuisse in specie humana. S. Thomas 3. part. q. 30. art. 3. Decuit, in hac specie & figura, vt Angelus appareret Virgini, quoniam sic apparuerunt Angeli Abraham & Iacob Patriarchis, Danieli, & Tobiae: & verisimile est apparuisse tanquam iuuenem modestum, decorum, & elegantem, candidissimis quoque vestibus indutum. Sic enim apparuisse Angelum quemdam in Dominica resurrectione legitur. Hinc etiam est,

vt credatur voce humana locutus, & vsus Hebraeo sermone, quia ad Virginem, ex Hebraeis parentibus natam, loquebatur.

Nono quaeritur, Quibus de causis decuit, vt Christus Dominus conciperetur, & nasceretur ex Virgine? Praedictum fuerat *Isaie. 7.* *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Vbi Hebraicus textus habet nomen Almaz, quod significat Hebraeis puellam incorruptam, & incognitam. Insuper idem nomen habet ante se articulum emphaticum (He): legitur enim Haalma, vt significaret Propheta se non loqui de vulgari, sed de praesantissima, & maxime insigni quadam Virgine, tanquam ita loqueretur: Ecce illa Virgo tot ac tantis figuris adumbrata concipiet, & pariet filium. Miraculum profecto grande, insolitum & inauditum Propheta praedixit: videlicet, quod puella virgo, illaeso, & integro virginitatis pudore esset conceptura, & partura filium, alioqui enim, si solum Propheta praedicebat virginem puellam, sed nuptam viro, communi & solito naturae cursu, & more concepturam, & parturam, nihil mirabile praedixisset.

Obijciunt Hebraei, Quorsum Propheta regi Achaz signum dedit liberationis futurae a duobus regibus hostibus suis, quorum armis oppugnabatur, quod ipse videre non poterat: siquidem post septingentos annos erat signum illud euenturum. Chrysostomus *apud Ioannem dicit.* signum non esse datum regi, sed domui David, quae non solum vsque ad Christum permansura erat, sed etiam generatura ipsum Christum, & ideo dixit Propheta: *Audite domus David.* Sic Chrysostomus.

Sed sciendum est nomen Hebraeum, quod Latinitus interpretis vertit (signum) non solum significare signum & indicium alterius rei, sed etiam miraculum, & quicquid praeter naturae ordinem fit. Sensus itaque Prophetae est: Quid defatigatis in signis quaerendis Prophetas, immo Deum ipsum, qui Prophetas ad vos mittere solet? Ecce Deus ipse facturus ad est in medio vestri, & grande illud, & stupendum miraculum, quo Virgo illa toties vmbis, & figuris praenunciata concipiat & pariat filium, qui vocabitur Emanuel, id est, Nobiscum Deus.

*Butyrum & mel comedit.* Periphrasis est infantiae, & puertitiae humanae: dixerat enim Propheta illum filium, futurum esse Emmanuelem, id est, Deum inter homines, ideo subiunxit (*Butyrum, & mel comedit*) quasi dicat, erit tamen verus homo, quia erit verè puer, qui sicut ceteri pueri lactea, & dulcia appetet, & comedet, acia vero, & acetosa fastidio habebit, & respuet.

*Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Particula (*ut*) non significat eo loco finem, sed consecutionem: quasi dicat, Dulcia comedet, acia, & amara repudiabit: ita vt sciat puer vitare malum, & eligere bonum. Vel particula (*ut*) iunxit Hebraeo more pro coniunctione causali, vt sensus sit: Dulcia comedet, reijciet amara, quippe qui iuuata sibi prudentia sciet eligere bonum, & a malo abhorre.

Dicit aliquis, Quomodo hæc coherent cum eo, quod statim subiicit Propheta, *Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.* Cohæret, quia sensus: Antequam puer ille nascatur, qui butyrum, & mel more aliorum puerorum gustabit, sentiet terra auxilium eius: nam ab ea expellentur duo illi Reges tibi infecti & inimici, qui eam possident, & in ea dominantur.

Praeterea *Prou. 30.* Salomon dixit: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquila in caelo: viam colubri super petram: viam nauis in medio mari: & viam viri in adolescentula.* Vbi legitur (*in adolescentula*) prout habent Codices omnes Hebraici, & Latini multi emendati: tamen (*in adolescentia*) legunt plerique Latini textus; & communiter Graeci, & Beda, & Biblia Xisti V. & Clementis VIII. Romanorum Pontificum auctoritate correctæ. Sensus eius loci est secundum Hebraicam lectionem.

Cum

Esa. 7.

Pro. 30.



Cum Salomon mentis intelligentia considerasset tria, quæ cum per loca consueta transeunt, nullum sui transitum vestigium relinquunt, quo sciri, ac deprehendi queat, illæ pertransisse: videlicet, volatum avis per aera: iter colubri super petram, aut rupem: transitum navis per aquas maris: Tunc diuini luminis fulgore illustratus, considerauit conceptum & partum Beatæ Virginis, & ideo dixit (*Quareum penitus ignoro, Viam viri in adolescentula*) quasi ita diceret: Ignoro prorsus quomodo vir ille, qui est Saluator mundi venturus, concipietur, & nascetur ex puella incorrupta, & intacta, utpote virgo incognita.

Omnino refutandi, ac reiiciendi sunt quidam Catholici Interpretes, inter quos est Caietanus *Proverb.* 30. qui Iudeorum decepti mendacis, dicunt, in eo loco Proverbiorum Hebraico nomine (Almah) significari puellam iuuenilis quidem ætatis, sed corruptam & viro cohabitam: & sensum esse: *Viam viri in adolescentula*, hoc est, affectum & ardens studium viri deperentis adolescentulam corruptam, quod est difficile cognitum, cum corrupta iam sit. Sicut alia tria difficulter cognoscuntur, cum nullum post se vestigium relinquunt.

Quod autem Almah in eo loco significet puellam corruptam, inde probant, quia statim sequitur: *Talis est via mulieris adultera, qua comedit, & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum.* Hic sensus est plane Iudaicus, & Christiano indignus interprete, & à littera multum abhorrens.

Sciendum est, apud Hebræos esse tria nomina: Naarah, Betulah, & Almah: Naarah, significat feminam, quæ puella, & adolescentula est, siue corrupta, siue incorrupta sit: est enim nomen ætatis, non status, & conditionis. Betulah significat feminam, dum virgo est, sed proeuctæ iam ætatis; est nomen status & conditionis, non ætatis. Almah significat feminam iunioris ætatis; quæ sit virgo innupta, & nulli viro cognita, ita ut sit nomen ætatis, & status, & conditionis: nam certe in omnibus alijs scripturæ locis Almah accipitur pro puella incorrupta *Genes.* 25. de Rebecea, *Exod.* 2. de Maria Moysi sorore. *Canticorum* 1. *Adolescentula dilexerant te nimis.* *Cant.* 6. *Adolescentularum non est numerus.* *Psal.* 67. *In medio iuuentularum tympanistrillarum.* *Isa.* 7. *Ece virgo concipiet, & pariet.* Ergo non est vlla ratio, cur *Proverb.* 30. vox Almah non debeat sumi pro puella Virgine.

Nec probanda est aliorum Catholicorum sententia, sensum Salomonis esse, studium viri deperentis adolescentulam difficile esse cognitum, quia scilicet vagum, inconstans, multiplex & incertum: quia Salomon dixit se ignorasse prorsus viam viri in adolescentula, non quia vagam, & multiplex, sed quia nullum sui vestigium reliquit. Sicut alia tria, quæ proposuit.

Quomodo igitur, dicent Aduersarij, cohereret quod sequitur: *Talis est via mulieris adulteræ?* Respondeo, dupliciter coherere, Primo quidem sic: Ignoro viam viri illius, qui ex puella permanente virgine concipietur, & orietur: nam tam ignota erit, ut mater eius incorrupta, & inuolata permansura sit, ut si negare velit se concepisse & peperisse, conuinci non possit, quia nullum sui conceptus, & partus vestigium in ea apparebit. Sicut mulier adultera, diuersa omnino ratione, scilicet quia corrupta iam est, negare facile potest, se eum hoc, aut cum illo rem habuisse. Deinde coheret hoc modo: *Talis est via mulieris adulteræ: ut verticulus ille accipiatur seorsim, non coniunctim cum precedentibus, ita videlicet: Hæc est conditio mulieris adulteræ, ut postquam cum aliquo turpiter egerit, tergens os suum dicere soleat: Operata malum non sum.*

Aduertendum etiam est, prædictum Salomonis locum, teste Galatino, Hebræum quendam ante Christi Domini aduentum, retulisse ad quatuor præcipua Christi mysteria. Cum enim dicitur: *Tria sunt difficilia mihi: Via a-*

*quila in celo*, interpretabatur ille sic: *Ascensio Christi in celum.* *Via colubri super petram*: id est, *Resurrectio Christi ex sepulchro: Via nauis in medio mari*, id est, *Vita Christi qua nobiscum in hoc mundo est conuersatus: Via viri in adolescentula*, id est, *Ortus Christi ex puella permanente virgine post partum.* Quod si verum est: consequitur, ut Hebræus ille hæc Christi mysteria, Spiritus sancti insinuet, & afflatu cognouerit.

Decuit porro, ut Christus Dominus ex Virgine immaculata conciperetur, & nasceretur, multis ex causis. Prima, ut sicut primus Adam efformatus est ex terra virgine, id est, ex terra nullo humanæ indutrie sarculo prolata: Ita secundus Adam oriretur ex Matre Virgine intacta. Secunda, ut quemadmodum verbum nostrum in eternum in mente concipitur, & ex mente progignitur absque vlla ipsius mentis corruptione: ita Christum, qui est Verbum Patris æterni, decuit, ut conciperetur in vtero Virginis, & nasceretur ex ea sine vlllo ipsius Virginis detrimento. Tertia, ut sicut lucidissimus solis radius per vitrum, aut crystallinam fenestram pertransit, & non frangit eam: ita Christus, qui est candor, & splendor lucis æternæ, egrederetur in Virginem, & egrederetur ex ea, & nihilominus eam immaculatam seruaret.

Quarta, ut sicut ex sepulchro clauso exiit, & inuis clausis ad discipulos in vnum congregatos ingressus est: ita decuit ut egrederetur ad Virginem, & egrederetur ex ea semper clausa. Quinta præceptum à Deo datum filijs, ut patrem suum & matrem honorarent, & colerent; decuit igitur ut Christus, qui semper honorauit Patrem suum æternum honoraret & matrem eam integram in virginitate seruanda. Sexta, *Decens*, inquit Anselmus *libro de Conceptu Virginali cap.* 38. *fuit, ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, qua fuit mater vniuersi Filij Dei.* Septimo decuit ut completeretur omnis modus generationis humanæ, docente Anselmo *loco citato cap.* 11. Primus Adam factus est à Deo sine viro, & femina: Eva formata est à Deo ex viro sine femina: ceteri hominum sunt ex viro & femina: Decebat igitur, ut formaretur secundum Adam ex femina sine viro. Octaua, *Decens* fuit, ut Christus qui veniebat noua omnia facturus, nouum conceptum, & partum faceret. Nona, cõueniens fuit, ut Deipara omni castitatis genere niteret, Triplex autem est castitas: coniugalis, vidualis, & virginalis. Deipara fuit semper virgo: eadem fuit nupta; demum, viro defuncto, fuit etiam vidua. Decima, consentaneum rationi fuit, ut id quod Sapiens de sole dixerat, locum etiam haberet, in muliere amicta sole: fuit enim Deipara admirabile vas, quæ in vtero suo semper clauso continuit eum,

quem celi, & terra capere non possunt: ac si in scintilla concluderetur ignis, & in vna gutta, tota maris aqua, & in terra puluisculo celum, & in pugno tota mundi vniuersitas. Item in Deipara Virgine fuit vinum nouum, & vinum vetus absque vlla corruptione, commixtione, & confusione. Vinum vetus, est coniugalis castitas, ac mater-na fecunditas: vinum vero nouum, virginitas est. Fuit Deipara nupta, & fuit mater, & tamen virgo semper intacta. Admirabile item est, ut vas semper clausum, liquorem odoratissimum intus accipiat, & nihilominus foras emittat. Conceptus est in vtero Virginis, & prodiit natus ex Virgine semper clausa Christus filius Dei gratiæ plenissimus, per quem gratiam omnes accepimus. Undecima, decebat ut Christus, qui veniebat è celo nos ab omni corruptione immunes, ac liberos seruaturus, matrem suam integram, & puram ab omni corruptione seruaret. Duodecima, Voluit Christus ex Virgine concipi, & nasci, ut tali matris conceptu & partu demonstraret quanto pete sibi virginitas placeret. Et ideo pendens in Cruce iam iam moriturus Virginem matrem sibi carissimam, Ioanni Virgini discipulo sibi gratissimo commendauit. Decima tertia. Cum descendit Dominus in montem Sinai *Exod.* 19. daturus legem Israelitis, noluit, ut ad montem accederet homo, aut bellua, & tamen

Co. 24.  
Exo. 2.  
Cã. 1.6  
Ps. 67.  
Isa. 7.  
Proh.  
30.

Sep. 7.

Ioh. 30.

Mat. 13.

Eccl. 13.

Ex. 19.

ibi

ibi erat paucos dies commoraturus. Quid igitur mirum cum è sinu Patris Filius Dei descendit in uterum virginis, ibi ad nouem menses habitaturus, & inde egressus daturus mundo Euangelicam legem soluerit, vt ad montem illum virginicum vir vllus accederet, aut vlla bestia, hoc est, vlla carnis corruptio, aut peccati macula.

Decimo queritur, Quibus figuris virginitas Deiparæ fuerit adumbrata? Respondeo, in primis adumbratam fuisse Numerorum cap. 17. in virga Aaron, quæ floruit, simul & fructum edidit absque vlla hominis cultura. Sic Deipara floruit, & fructum tulit absque vllò virili complexu. In flore virginitas; in fructu maternæ fecunditas significabatur. Deinde, Nabuchodonosor Dan. 2. vidit statuum magnam, quam percussit, ac fregit abscessus de monte lapidis sine manibus. In lapide illo significabatur Christus, qui ex monte virgineo sine manibus, hoc est, sine humana opera processit, & Luciferi, & mundi statuum suo verbo percussit, & sua virtute confregit. Tertio, adumbrata est Beatissima Virgo Exod. 2. in rubo ardente, & non combusto, secundum Bernardum in *Sermone de B. Virgine super illa verba Apocalypsis cap. 12. Signum magnum apparuit in celo: Mulier amictu sole: quemadmodum rubus replebatur igne intra se concepto: sic erat Virgo benedicta, plena Deo intra sua viscera concepto. Rubus absque vllò sui detrimento concepti ignem in se. Virgo in sua virginitate permanens, concepit in suo vtero verbum Dei. Item sicut rubus ardebat, hoc est, emittebat flammam virginitas, & non comburebatur ita B. Virgo Filium Dei peperit; & tamen incorrupta permansit. Quarto, figurata est virginitas B. Mariæ in vellere Gedeonis Iudicum. 6. secundum eundem Bernardum, homil. 2. Super Missus est Angelus Gabriel. Sicut enim vellus est lana ex oue dempta & detracta sine vllò ipsius ouis vulnerere ita Christi caro fuit sumpta ex Virgine absque vllà ipsius Virginis corruptione. Quinto, delineata fuit Mariæ virginitas Ezech. 44. in porta sanctuarij quæ erat clausa, & vit non transit per eam, & ita fuit semper clausa. Sic in epistola S. Ambrosij, & aliorum Episcoporum in Concilio Teleusi congregatorum ad Siricium Papam. Sexto, impletum est in B. Virgine, quod dixit Salomon *Canticor. 4. Hortus conclusus, fons signatus*. Ter dictum est: *Hortus conclusus, hortus conclusus, fons signatus*, quia virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum, Hortus propter fecunditatem, & fructum maternum: conclusus, propter virginalem gloriam, & partum diuinum. Et tertio loco non est repetitum *hortus conclusus* sed dictum *fons signatus* tantum, vt indicaretur spiritualium filiorum propagatio: *Signatus* autem, quo significaretur pudor virginialis illæ, atque illibatus. Impletum quoque est, quod *Canticorum: 7. dixerat Salomon de Ecclesia sponsa D. 13. Venter tuus sicut acornus tritici, vallatus lilij. Venter tuus dixit, propter fecunditatem maternam sicut acornus tritici propter propagationem filiorum, quos spiritualiter in Ecclesia gignit. Vallatus lilij propter virginalem candorem purissimo virtutum, omnium comitatu sociatum.**

Vndecimo queritur, Cur Christus Dominus voluerit nasci ex nupta femina? Veteres Patres, quinque causas huius rei tradiderunt. Prima est, ne si B. Virgo innupta peperisset, vt stupri rea mulctaretur, maluit enim Christus, filius Iosephi, id est, fabri, quam impudicæ feminæ filius videri, & putari. Ita sanctus Ambrosius & Bernardus homil. 2. super Missus est, Secundo, ne ipse Christus spiritus videretur; & ideo tanquam verus Messias à Iudæis non reciperetur: nam si cum ex legitimo coniugio cum procreatum putarent, tamen ideo contemnebant, quod fabri filium esse credebant, *Matth. 13. Et Mare. 6. quid, Deus bone, facturi erant, si spiritum dicere potuissent* ita S. Ambrosius. Tertio, vt Ioseph Mariæ, & infantis Iesu adiutor, & custos esset in ijs, quæ ad corpus spectant. Ita Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxa, capit. 15. Quarto, vt Ioseph testis esset virginitatis Mariæ:

nemo enim in eius castitate asserenda tam dignus fide esse poterat, quam qui custos illius erat, qui vnus max me scire debuit, & potuit. Ita S. Bernardus homil. 2. super Missus est. Addit S. Hieronymus quinque rationem, capite primo in *Matthæum, & libro aduersus Heluidium: vt generatio nis Christi ordo, & series texeretur, & Christum ex semine Dauid, sicut fuerat ante prædictum: procreatum esse probaretur: non enim mortis erat apud Hebræos generationis ordinem per feminas, sed per viros deducere. Quare si B. Virgo innupta filium peperisset Christus ex incerto & ignoto patre progenitus crederetur.*

Addunt alij sextam rationem. Vt vterque status, virginitatis scilicet, & coniugium honoraretur. Ponunt etiam septimam, S. Ignatius in *Epistola ad Ephesios*, Origenes homil. 76. in *Lucam*, Basiliius homil. de *humana Christi generatione*, Damascenus lib. 4. de *Fide orthodoxa*, cap. 16. vt virginæ Mariæ partus Dæmonibus celaretur. Hanc rationem quidam iuniores eo refutant, quod naturaliter Dæmones cognoscere potuerint, Deiparam post partum Virginem permanisse. At enim veteres Patres non sunt tam leuiter, ac facile confutandi. Dicendum igitur est, cognoscere quidem Dæmonem potuisse: sed cum intelligeret nuptam generatam, putauit Christum ex matrimonio morte aliorum hominum generatum fuisse: Dæmon enim ijs, quæ iuste, & recte fieri videntur, parum intendit.

Duodecimo queritur, Cur Euangelistæ non dixerint, B. Virginem nuptam viro fuisse, & non desponsatam, si quidem inter Ioseph, & Mariam verum matrimonium erat? Sciendum est, apud Latinos duo hæc esse verba distincta, Despondere, & Nubere. Despondere dicitur de sponsa, cum promittitur alicui futura coniux: Nubere vero dicitur de sponsa cum iam sit alicuius coniux. Sic etiam apud Græcos sunt hæc duo verba diuersa *Γαμίζω, & νύμφη*. Primum verbum Græcis significat, quod Latinis nubere, vel vxoem ducere: secundum idem est Græce, quod Latine, despondere. Interpres Græcus sancti Matthæi capit. 1. & sanctus Lucas capit. 1. vtuntur Græco verbo *νύμφη*, quod est despondere: & tamen certum est, inter Ioseph, & Mariam Virginem verum existisse coniugium, & non solum futuri matrimonij promissionem. Nam *Matth. 1. dictum est ab Angelo. Ioseph: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*. Nec valet ea expositio Hæretici cuiusdam: Noli timere accipere Mariam in coniugem, quæ tibi hæcenus desponsa est, non nupta. Et in eodem capite Ioseph vocatur Græce, *αὐτῆς ἄνδρα* & non *νύμφη*, hoc est, sponsus, & B. Virgo appellatur Græce *νύμφη*, hoc est, vxor Ioseph. His accedit, quod si vere matrimonium inter Ioseph, & B. Virginem non fuisset, sed sola futuri matrimonij promissio, inde consequens esset, vt B. Virgo stupri rea vulgo ceteretur, quod innupta, quamuis sponsa viro peperisset, atqui Christus Dominus voluit omnino Matris honori consulere: ergo natus est ex Virgine viro nupta, & non ex promissa tantum in matrimonium, B. Aug. li. 1. de *Nuptijs & Conceptione*, c. 11. & li. 13. contra *Fausum* capit. 4. & lib. 2. de *Consen. Euangel.* & li. 1. contra *Iulianum* ostendit, verum fuisse matrimonium inter Ioseph & Mariam, etiam si nulla copula intercesserit. Quare benigne interpretari debemus Hilariu *cap. 1. in Matth. Epiph. Hæresis 78. Theophy. 2. in Matth.* qui videntur asserere, B. Virginem non fuisse nuptam, sed solum desponsam Ioseph. solum enim negare voluerunt illi Patres, inter eos fuisse matrimonium consummatum; nunquam autem negarunt fuisse matrimonium ratum atque legitimum. Eodem modo intelligendi sunt alij Patres, Hieron. contra *Heluidium*, *Maria*, inquit, *quam putas est, Ioseph, s. vxorem habuisse, custos potius fuit, quam maritus. & Mat. 1. cum virum audis, tibi non subrat suspicio nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, & sponsa vxores vocentur. Greg. 8. 2. in Eua. Ioseph Mariam sponsam habuit, quæ tamen ad eius nuptias non peruenit. Chry. ho. 1. in Mat. Videt, inquit, quod Ioseph non ad coniugium Mariæ erat enectus, sed ad ministerium eius. Aug. in ea verba: Noli timere, &c. Coniu-*

Mat. 1.

Nu. 17.  
Dan. 2.  
Exo. 2.  
Iud. 6.  
Luc. 1.  
Cant. 4.  
Cant. 7.  
Mat. 13.  
Luc. 1.



gem, inquit, nominavit, quia erat futura uxor. Fuit igitur inter Ioseph, & Mariam verum matrimonium, ratum qui dem, sed non consummatum: & huiusmodi coniuges solent vulgo appellari non solum apud Hebraeos, sed etiam apud Graecos, & Latinos, sponsi. Sed cur quæso, inquires, Euangelista B. Virginem dicere maluerunt desponsatam viro, quam nuptiam? Respondeo, id eos fecisse consulo, ut indicarent non fuisse consummatum matrimonium inter eos, ac proinde B. Virginem viro incognitam fuisse.

Decimo tertio quaeritur, An Deipara fecerit votum virginitatis? Theologi cum Magistro sententiarum in 4. Dist. 30. & cum Gratiano in cap. Sufficit 5. Cum ergo 27. Quæst. 2. & cum S. Thoma 3. p. Dist. 28. art. 4. communiter dicunt, Deiparam virginitatem suam voto Deo facto consecrasse: quia maioris est meriti virginitas voto firmata, quam solo animi proposito decreta. Vnde quia Deipara ceteras omnes virtutes habuit in summo gradu perfectas, dicendum est, etiam virginitatem servasse perfectam. Votum virginitatis fecisse, veteres quoque Patres tradiderunt: Nyllæ in Orat. de Christi Natiuitate, Angu. lib. de S. Virginit. c. 4. Beda in Lucam 1. Antel. lib. de Excellentia B. Virginit. ca. 4. Rupertus lib. 3. Commentariorum in Cant. Bernar. hom. 4. super Missus est, & ser. super illa verba Apocly. 12. Signum magnum apparuit in caelo.

Luc. 1.

Quæres, an ex illis verbis Luc. 1. Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco, colligatur Deiparam suam virginitatem Deo vouisse. Sciendum est, aliquos ex Patribus asserere, Deiparam ea verba dixisse, quia non credidit verbis Angeli, aut saltem quia dubitauit. Ita S. Acha. hom. in Genes. & Nyllæ in Orat. de Christi Natiuitate. Chryost. hom. 49. in Genes. Euxy. Luc. 1. Considerabat, inquit, quod natura erat, non quod diuina virtutis, & potestatis. Et quia intellexerat ex verbis Angeli, se concepturam, & parituram filium virginitate permanente: ideo dixit, vel non credendo, vel saltem hesitando: Quomodo fiet istud. Sicut Ioan. 6. Iudas non credendo, sed dubitando dixerunt: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. Sed nihilominus fatentur Prædicti Patres, Deiparam non peccasse non credendo, vel dubitando feminam posse in virginitate concipere, & parere filium, quia considerabat quid natura posset, non quid diuina virtus.

Ioan. 6.

At enim mihi quidem horum Patrum sensus minime probatur. Id est omnino probandum, quod S. Ambros. lib. 2. de Abraham c. 8. & in Lucam c. 1. & August. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 24. & Theophyl. & Beda in Luc. 1. & Damasc. lib. 3. de Fide orthod. c. 2. Bern. hom. 4. Super Missus est, communiter tradiderunt, in huiusmodi verbis nequaquam B. Virginem fuisse incredulam, nec dubitasse, nec signum petiisse: sed solum quæsiuisse modum, quo esset id, quod Angelus nuntiabat, implendum: tanquam diceret, credo Angele Dei, quod dicis, quamquam longe excedat capium omnem mentis meæ; & intelligentiam, sed modum quo hoc erit, non audio: & propterea nosse velim.

(Quoniam virum non cognosco.) Huius temporis Hæretici aiunt virginem non solum dubitasse, sed etiam peccasse, quia credidit fieri non posse à Deo, quod præter communem naturæ cursum, & ordinem est. Ceterum isti, tanquam impj in beatissimam Virginem garrunt, nec excusantur, quod supradicti Patres dixerint eam non credidisse, & dubitasse, quia aperte addiderunt, non tamen peccasse, eo quod considerabat quod naturæ erat, non quod diuinæ virtutis, ac potestatis.

Non placet itidem sensus quorundam Catholicorum: ut Caietani; Quomodo nunc concipiam, & pariam filium, vt tu dicis: Ecce concipies & paries filium? quoniam vsq; ad hunc præsentem diem expers sum vitilis complexus? quasi ex verbis Angeli B. Virgo collegerit se statim concepturam & parituram filium. Dicendum est enim cum S. August. lib. de sancta Virginit. c. 4. & cum Nyllæno Orat. de Christi Natiuitate. & Bernar. hom. 4. super Missus est, & Beda in Luc. 1. In illis verbis Deiparæ: Quoniam virum

non cognosco, verbum (cognosco) accipi non solum vt significat, hæcenus non cognoui, sed etiam non sum deinceps cognitura. Sciendum enim est, esse phrasim Hebraeam, qua vtuntur Hebræi verbis præsentis temporis, siue præteriti, siue participij præsentis, vt significent consuetudinem actus. Cuius rei placet in medium nonnulla exempla proferre. Marc. 2. dixerunt Christo Iudæi: Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? Quam frequentiam & consuetudinem actionis explicantes, SS. Lucas & Matth. apposuerunt vocem frequenter, dicentes. Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter: Discipuli autem tui non ieiunant? Io. vii. Exiit sermo inter fratres, quia discipulus ille non moritur, id est, quia nunquam moriturus esset, vel quod mori non deberet, Exo. 5. Non do, ait Pharaon Iudæis, vobis paleam i. e. nūquā in posterum dabo, sicut prius consueuerat dare. Mat. 17. Magister vester non soluit didrachma? i. soluet non solet, Mat. 26. Tempus meum prope est, apud te facio Pascha, i. facturus sum. Sic etiam apud Latinos sumitur aliquando verbum præsentis temporis. Solet enim diceris, qui vitæ instituto, vel voti religione, vel legis præscripto vinum bibere, vel carnes edere prohibetur: vinum non bibo, & carnis non vescor, id est, non soleo, vel non debeo. Quia igitur Deipara erat voto virginitatis adstricta, recte dixit, quoniam virum non cognosco, id est, cognoscere iure non possum, nec debeo, quia voti religione prohibeor.

Mat. 1.

Mat. 17.

Mat. 26.

Decimo quarto quaeritur, An Angelus cum ad B. Virginem venit, eam domi solam inuenit? Ambros. lib. 2. de Virginit. & lib. 2. de officiis cap. 18. ait eam fuisse in domo penetralibus solam sine comite, sine teste, & Bernardus hemil. 3. de B. Virginitate: Inuenta est ab Angelo domum ingrediente, & ostium clausum penetrante, in oratione posita. Sic ille. Et certe verisimile est eam tunc considerasse arcanum futuræ Incarnationis mysterium: erat nihilominus B. Virgo sociata septem præcipuis spiritualibus puellis nimirum, septem virtutibus. Modestia, & ideo audiens Angelum nuntium, tacuit: Verecundia, vnde turbata est in sermone eius: Prudentia, quia cogitabat qualis esset ista salutatio: Virginitate Deo religiose promissa, & ideo dixit: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Obedientia officiosa, cum dixit: Ecce ancilla Domini. Ecce, inquit: quo verbo statim se ipsa paratam obtulit: Humilitate profunda, nam, Ancillam Domini se appellauit, cum Matrem Dei eam futuram esse Angelus nuntiasset: Fide finitissima nam dixit: Fuit mihi secundum verbum tuum. Beata quæ credidit, & ideo locuta est, & verbo concepit Verbum.

Luc. 1.

Decimo quinto quaeritur, In quibusnam plenitudo gratiæ consistat, quia salutata est B. Virgo ab Angelo, gratia plena? Respondeo, eam in multis consistere. Primo fuit gratia plena multo plus quam sint omnes Angeli, & sancti homines. Vnde auctor sermonis de Assumptione B. Mariæ Virginis nomine B. Hieronymi, aut Sophronij in scriptis dicit: Bene gratia plena: quia ceteris per partes præstat, Maria vero tota se infudit plenitudo gratiæ. Et paulo inferius: In Mariam totius gratiæ plenitudo, qua in Christo est, venit, quamuis aliter: quia etiam in sanctis Patribus, & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen antenu plena. Secundo: fuit in Deipara plenitudo gratiæ: nam tria sunt, quæ Dei gratiæ opponuntur, vel charitatis, quæ semper cum gratia coniungitur, feruorem minuunt, scilicet, Originale peccatum, Lethale crimen, quæ duo cum gratia diuina coherere non possunt: & veniale delictum, quo detestetur feruor charitatis. Beata igitur Virgo fuit omni gratia plena, quia immunis ac libera ab omni peccato, Originali, Lethali, & Veniali. Tertio habuit plenitudinem gratiæ: quia sic fuit in bono gratiæ confirmata, vt nunquam senserit pugnam carnis cum spiritu, sensus enim ratione, eorporis cum animo. Nimirum affectus animi, quia ceteris omnibus hominibus rationem mentis aliquando præcurrunt, aliquando perturbant, ad se aliquando pertrahunt, in Beata Virgine ita fuerunt singulari Dei munere ac privilegio repressi, vt rationem nunquam præ-

præ-

præuertent, perturbauerint, vel à recto, & bono deflexerint. Quarto: plenitudo gratiæ in B. Virgine illa fuit admittatione, & imitatione digna, quod semper in bonis operibus crescebat, in omni verbo, cogitatione, & opere merebatur, lauti non sic: aliquando stant, non ultra procedunt in meritis & bonis gratiæ: at Beata Virgo semper in bono proficiebat. Quinto: singulari Dei priuilegio nouit se esse in bono gratiæ confirmatam, & non quomodocumque, sed ita confirmatam, ut seiret se nunquam leuiter peccasse, aut etiam peccatam: ac proinde nunquam a gratia diuina olim adepta cecidisse, neque inquam donum gratiæ amissuram. Sexto: plenitudinem gratiæ habuit Virgo benedicta, quia habuit perfectiones omnium Sanctorum, omni imperfectone remota. In ea fuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, charitas Apostolorum, fortitudo, constantia, & patientia Martyrum, sobrietas, & temperantia Confessorum, castimonia Virginitatis, Religiosorum officiosa obedientia, Monachorum tacita, & secreta humilitas, voluntaria Eremitarum paupertas, paruulorum, & simplicium mansuetudo, fecunditas coniugum, pia & sancta Viduarum religio, ac demum puritas Angelorum. Septimo fuit plena gratia, quia singulæ eius virtutes ad pleniorum & maiorem perfectionis gradum quam in ceteris sanctis peruenerunt. In reliquis sanctis hominibus hæc, aut illa virtus vsu & functione operis excellebat, at in Beata Virgine singulæ virtutes fuerunt longe multo cumulatiores, & perfectiores. Octauo: Plenitudo gratiæ in Beata Virgine euenit, ut qui eam intuebantur, non nisi ad castitatem, & pudicitiam excitarentur. Sanctus Thomas 3. 2. 2. q. 1. ar. 1. q. 5. ad quintum. Addit etiam Alexander 3. par. 9. memb. 3. eam, si quos aspiceret, in eis libidinis motus extinguisse. Sic etiam S. Bonaventura in 3. dist. 3. par. 1. ar. 9. 3. Gabriel eod. lib. 2. dist. 2. ar. 3. dub. 1. Et certe S. Ambrosius lib. de Institut. Virginitatis cap. 7. Tanta, inquit, erat eius (Virginis Deiparæ) gratia, ut non solum in se uirginitatem seruaret, sed etiam ipsos, quos uideret, integritatis insignis conferret. Nono: plenitudo gratiæ fuit in uirgine Deipara, quia primo temporis puncto, quo fuit concepta, liberam rationis usum habuit in his, quæ pertinent ad Deum cultum, & meritum bonorum operum. Sanctus Bern. serm. 51. de B. Virgine c. 2. Iacobus Valentinus super Canticum Magnificati. Caietanus 3. par. q. 27. art. 3. Viguerius de Institut. Theol. cap. 2. h. 9. 5. Vnde in primo temporis momento, quo fuit in uero matris concepta, diuinam gratiam & sanctitatem accepit per liberum uoluntatis consensum, quo se ad recipiendam gratiam præparauit. Ultimo: plenitudo gratiæ fuit esse matrem Dei: nam eo ipso tanquam proxima gratiæ capiti & fonti gratiæ plenitudinem habuit. Tria sunt, quæ quadam infinitatem participant, uidelicet, clara Dei visio, qua Spiritus beati diuinam faciem intuentur: natuta humana à uerbo diuino suscepta: & Mater Dei. nam clara Dei visio talis est, ut alia visio esse non possit melioris, aut maioris obiecti. Natura humana sumpta à uerbo ita est nobilitata: ut nequeat esse uilla natura melioris, aut maioris personæ. Ita etiam nulla forma potest esse mater melioris, aut maioris filij, quam sit Deipara. Vnde, teste Anselmo, Libro de Conceptu Virginali cap. 18. Decuit ut Mater Dei, & genitrix, ea partu miteret, qua mater sub celo nequit intelligi.

Ultimo queritur, cur turbata sit Beatissima uirgo, ad salutationem Angeli, cum assueta fuerit sermonibus Angelorum? Origenes sermone secundo in Lucam dicit, causam fuisse excellentiam, & magnitudinem salutationis insolite. Sanctus Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 2. Et libro primo Officiorum ait, fuisse causam, Angeli præsentiam & aspectum, qui specie uiri insolita, & peregrina apparuit: ita ut turbata fuerit, quia fuit salutata ab eo, cum nunquam antea uiri salutationem audierit. Hieronymus in Epistola ad Eustochium, & Euthymius in Lucam, cap. primo. Causam fuisse eam censent, quia dubitabat an esset Angelus lucis, an tenebrarum: ac proinde dubita-

bat prudens Virgo, an dolosa ac fraudulenta esset eius, odi salutatio. Sanctus Bernardus serm. 3. super Missus est: Causa, inquit, turbationis fuit uirginalis pudicitia, & uerecundia. Dicendum est, tres fuisse causas turbationis: Magnitudinem salutationis insolite: Profundam Beatæ Virginis humilitatem: Ardentissimum studium, & amorem uirginalis pudicitia. At huiusmodi turbatio mentem B. Virginis à bono, & recto non auertit ullo modo, nec alienauit.

## CAP. XVIII.

## De die festo Purificationis B. Mariæ Virginis.

PRIMO queritur, Quando colitur in Ecclesia huiusmodi celebritas? Scribit Nicephorus lib. 7. ca. 28. Iustiniani senioris constitutione fuisse sanctum, ut hic dies festus ab omnibus anniuersaria celebritate coleretur. Id autem, meo iudicio, non est ita intelligendum, quasi tunc primum huius diei cultus fuerit institutus, sed quod ab omnibus Græcis populis hunc diem obseruari, & coli iusserit Imperator, cum fortassis nonnulli in hoc die festo colendo negligentiores existissent. Sergius hoc nomine primus Pontifex Romanus hunc diem celebri & solemi supplicatione, quam Processionem appellant, coli: & quod idem fieri præcepit in tribus alijs diebus Beatæ Deiparæ sacris, nimirum Annunciationis, Assumptionis, & Natiuitatis: ut refertur in libro, qui dicitur Ordo Romanus, & Martyrologio Bedæ quinto Idus Septembris. More Ambrosiano inter celebritates Domini habetur, ex ritu Græcorum Purificatio B. Virginis: sed Romanorum more numeratur inter dies festos B. Virginis dicat. Puto hanc celebritatem antiquissimam esse, & fortassis ab Apostolis, vel primis eorum Discipulis institutam.

Secundo queritur, Quot, & quæ diuine leges in Purificatione B. Virginis impletæ fuerint? Respondeo, tres fuisse ab ea leges impletas: Vnam qua præceptum erat, Leuit. 12. ut mulier, quæ pepererat masculinum, quadraginta diebus domi se contineret, & istis impletis, in templo coram Domino se sifteret: Et quæ feminam pepererat, octoginta diebus domi maneret, & octogesimo die ad templum ueniret. Secunda lex erat Exod. 13. & Numerorum 18. qua præcipiebatur, ut mulier quæ peperisset primogenitum, sifteret eum, impletis suæ purgationis diebus, Domino in templo, ut eum tanquam Domino dedicatum consecraret. Hac lege iubebantur Iudæi omnia primogenita tum in hominibus, tum in brutis animalibus Deo offerre. Porro primogenita oblata Domino mactabantur in holocaustum, si erant animalia munda: quod si immunda essent, pretio redimebantur, primogenitum quoque hominis pretio redimebatur. Primogeniti ex tribu Leuitica non redimebantur, quia dedicati Deo perpetuo erant filij Leui. Fiebat autem redemptio primogeniti quinque siclis. Siclus autem unus ualebat quatuor Julios Italicos, siue quatuor Hispanicos regales. Tertia lex erat Deut. 12. qua iubebantur parentes expleti purgationis diebus offerre in templo agnum anniculum in holocaustum, aut si præinopia agnum offerre non possent, duos certe pullos columbarum, aut par turturum offerrent: hæc tres leges paucis uerbis complexus est S. Euangelista Lucas, cap. 2.

Tertio queritur, An B. uirgo prima illa lege fuerit comprehensa, ita ut purgatione indiguerit? Origenes in Lucam homil. 14. ait, ea lege fuisse obligatam. Sed hæc sententia, tanquam temeraria, & quæ offendit credentium aures, merito refutatur: pugnat enim cum communi Interpretum consensu, dicentium, B. Virginem eam legem impleuisse uoluntate sua, non necessitate. Sic Basil. Isa. 7. Cyrillus lib. 8. in Leuiticum. & lib. 13. de adorat. in Spiritu. Chrysostomus homil. de Occursu Christi, Augustinus, q. 40.

in *Leuiticum*, Euthymius *homil. 2.* Bernardus *serm. 3. de Purificat.* Aldephonus *serm. de Purificat.* Et ratio huius est, quia B. Virgo semper purissima fuit ante, & post partum, ergo purgatione non indiget.

Quarto quaeritur, An in ea lege fuerint aliqua verba posita, quae Virginem excluderint ab eius obligatione? Communiter praedicti Patres, & interpretes affirmant, in ea lege contineri verba, quibus exclusa est Beata Virgo. Sic enim habet lex: [Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit] at Beata Virgo peperit suum filium primogenitum absque vilo semine virili, sola Spiritus sancti virtute: ergo eiusmodi praecipio purificationis non tenebatur. Verbum illud: *Mulier si suscepto semine* positum est à Spiritu sancto, ut Beata Virgo ea lege intelligeretur exclusa, quae filium erat paritura virginitate permanente. Quidam tamen recentiores nouitarum amatores, hanc doctrinam audacius quam par est, enervant, dicentes, semen accipi in ea lege pro ipsa prole, non pro semine, ex quo proles generatur. Ita ut sensus sit: *Mulier quae prole suscepta pepererit, immunda erit.* Sed horum sententia quia communi sanctorum Patrum, & interpretum sensui repugnat, reiicienda est. Implevit ergo Beata Virgo legem purgationis, ut dictum est, sponte sua, non necessitate legis. Primo ut exemplum praeberet obedientiae voluntariae. Secundo, ut omnem mali speciem deuitaret: Tertio, ut omnem offensionis alienae occasionem fugeret. Quarto, ut filij sui exemplum sequeretur, qui voluntate sua, non necessitate legis, circumcissionis praecipium implevit.

Quinto quaeritur, An legendum sit apud Lucam capite secundo: *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, An vero purgationis eorum.* Graeci codices varie legunt: alij enim habent *purgationis eius* in masculino genere, & alij *purgationis eius* in feminino, alij *purgationis eorum*: ita ut purgatio secundum priorem lectionem referatur ad puerum oblatum in templo: iuxta secundam vero lectionem, ad Matrem pueri nati: secundum tertiam, ad utrumque simul. Sed melior lectio ceteris est, quae habet *purgationis eius* in feminino genere, eius videlicet, matris: nam purgatio secundum legem Moysi, erat foeminae quae pepererat, non pueri, aut viri. Lex enim *Leuitici duodecimo*, sic habet: *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit.* Porro haec immunditia partim erat naturalis, nam foemina postquam peperit, solet menstruum pati: Vnde quae pepererat masculum, septem diebus, secundum legem, domi se continebat: si foeminam quatuordecim. Partim erat legalis: qua prohibebatur, si masculum pepererat, tribus & triginta diebus sanctum tangere, vel in templum ingredi si foeminam, sex & sexaginta diebus. Erat igitur duplicatus numerus dierum immunditiae naturalis, & legalis, quando o mulier foeminam pariebat.

Sexto quaeritur, Cur Deus iusserit *Exod. 13. & Numerorum 18.* sibi offerri omnia primogenita hominum, huc iumentorum? Respondeo, id Deum fecisse in memoriam eius, quod fecit olim in Aegypto, ubi occidit omnia primogenita hominum, & iumentorum Aegyptiorum ea nocte, qua populum Hebraeorum liberauit, & seruauit omnia primogenita eorumdem. Iubebantur itaque Hebraei sua omnia primogenita offerre Deo, ut eiusmodi oblatione profiterentur singulari Dei beneficio extitisse seruata, ne a deuastante Angelo perimerentur, qui primogenita Aegyptiorum occiderat, quasi dicerent: Ecce tibi offerimus primogenita nostra, quae magis tua sunt, quam nostra, qui tua singulari cura, & prouidentia viua in Aegypto seruaasti.

Septimo quaeritur, An ea lege CHRISTVS recens natus, tanquam primogenitus B. Virginis, teneretur? Quidam Patres dixerunt teneri. Origenes *homil. 2. in Lucam*; Ambrosius *Luc. 2.* Nyssenus *orat. de occursu Domini*, Theophyl. Euthym. *Luca. 2.* sed alij Patres negant compre-

hensum fuisse. Hierony & Cyrilius *homil. de occursu Domini*; atque haec sententia est omnino tenenda, quia in lege illa, ut patet *Luc. 2.* dictum est: *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, & Num. 18.* dicitur: *Quicquid primum erumpit de vulua cuncta carnis, at Christus fuit quidem vnigenitus, B. Virginis, sed vuluam, siue vterum eius nascendo non aperuit, quia natus est virginitate matris intacta, & illaesa. Quod si verum est, dicitur quispiam, Quomodo Patres primae sententiae dicunt Christum ea lege fuisse contentum? nam eo ipso fateri coguntur cum nascendo aperuisse vuluam matris, quod est omnino falsum. Respondeo, eos Patres nihil prorsus contra perpetuam Deiparae virginitatem docuisse: quia hoc, quod est adaperire vuluam matris, acciperant pro eo, quod est nascendo ex matris vtero prodire: ita ut significetur Matris fecunditas per generationem prolis. Sicut cum scriptura dicere solet, huius, vel illius matris vuluam esse clausam, pro eo quod est, sterilem esse, siue prolem non suscepisse. Sic etiam loqui consuevit, cum contrarium indicare vult, primogenitum aperire vuluam matris, pro eo quod est, vere, & proprie nascendo; ex vtero matris egressum esse.*

Sed cur obsecro, praedicti Patres tam aperte dicere maluerunt, Christum nascendo aperuisse vuluam matris, cum id contra Deiparae virginitatem facere videretur? Respondeo, eos sic loqui maluisse, ut ostenderent, Christum reuera ex matris vtero prodisse, non opinionis, & estimatione hominum, nec secundum rei speciem ac imaginem, sed secundum rei veritatem. Putarunt illi Patres ita esse necessarium dicere propter Haereticos, qui docuerunt Filium Dei ex Beata Virgine fuisse posse carnem humanam specie tantum non veritate: & de perpetua Deiparae virginitate non tam solliciti fuerunt, quia ex sacris litteris constabat eam peperisse opera & virtute Spiritus sancti, non ex virili complexo.

Octauo quaeritur, pro quonam offeratur agniculus, aut duo pulli columbarum, vel par turcurum? Augustinus *quasi. 40. in Leuiticum* putauit offerri pro filio nato, non pro matre. sic etiam Origenes in *Lucam homil. 14.* Ambrosius in *Serm. Purificat.* Chryloist *homil. de occursu Domini.* Leo *serm. 2. de Natiu. Domini.*

Sed communis est sententia, lege praecipuum fuisse, ut offerretur pro matre. Nam lex *Leuit. 12.* sic habet: *Cumque expleti fuerint dies purificationis tuae, pro filio, vel filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, aut pullum columbae siue turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij. Quod si non inuenierit manus eius, nec poterit offerre agnum, sumet duos turtures, aut duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato, orabisque pro ea Sacerdos, & sic mundabitur.* Hec in ea lege. Offerrebantur illa animalia pro mulieris purgatione, sicut cum leprosus, aut qui seminis profluuium patiebatur, aut mulier longa habens menstrua, mundabatur, *Leuit. 14. & 15.*

Nono quaeritur, Pro quo peccato ea animalia offerrebantur? Quidam existimant, offerri pro peccato originali debuisse. Sed hoc non placet, quia originale peccatum multo ante tempore iam sublatum erat, & tamen in lege dicitur: *Orabisque pro ea Sacerdos & sic mundabitur.* Alij dicunt, offerri pro veniali delicto, quod saepe coniuges in maritali congressu committunt. Neque hoc placet, quia maritalis congressus per se, & natura sua nullum peccatum habet. Dicendum est, Peccatum in ea lege dici immunditiam corporalem, & non quamcunque, sed legalem: mulier enim post partum, quadraginta dierum spatio prohibebatur lege aliquid sanctum tangere, & ad templum ingredi: ac ita immunda, videlicet secundum legem essebatur: & sicut immunditia erat legalis, sic peccatum dicebatur legale.

Decimo quaeritur, Quomodo B. virgo, & Ioseph tam pauperes fuerint, ut agniculum emere non potuerint quem offerrent in templo? Ratio dubitandi est, quia

ante purgationis dies Magi venerant, & aurum, thus, & myrrham obtulerant. Nec verisimile est, reges, qui ex Oriente vsque venisse, & thesauros suos aperuisse dicuntur, parum quid auri attulisse. Sunt qui dicant Beatam Virginem, & Ioseph aurum illud seruasse ad peregrinationem in Aegyptum. Alijs vero hoc minime probatur. Nam quod peregrinationi in Aegyptum illud aurum reseruauerint, videtur auaritiam redolere, aut saltem speciem auaritiae, atque umbram quandam dissidentiae de diuina prouidentia continere.

*Mat. 1.* Accedit, quod quando puer est in templū Domini oblatum, nihil tum Ioseph, de ea peregrinatione cogitauerat: fuit enim postea admonitus ab Angelo. vt in Aegyptum secederet. Illud probabilius videtur, eos Magorum munera integra, vel Deo consecrassē, vel in pauperum vsus consumpsisse: Vnde cum purgationis gratia, ad Templum venerunt, thesauros Magorum, vel in Deum cultum, vel in vsus pauperum iam impenderant, nihil sibi ad inopiae subsidium reseruantes.

Vndecimo quaeritur, An B. Virgo obtulerit duos pullos columbarum, an potius par turturum: Nam vtrosque offerre lex minime iubebat, sed alterutrum duntaxat, nimirum, aut duos turtures, aut duos pullos columbarum; & Euangelista sic legem citauit, & verisimile est, Beatam Virginem nec plus, nec minus, quam Deus praecipiebat obtulisse. vtros obtulerit, Lucas non expressit. Certe verisimiliter obtulisse pullos columbarum, nam hi facilius repetiti poterant, quam turturum: & minoris pretio emi solebant, videtur quoque id fuisse magis vsitatum, vt columbi se offerrentur, quam turtures: nam illi qui ex domo Dei speluncam latronum fecisse dicuntur, & reprehenduntur à Domino, non turtures in sacrificio, sed columbas feribuntur venales habuisse. *Mat. 21.* Offerebatur vero agniculus, vel columba, vel turtures: Agniculus quidem, quia mansuetus, & quia typice adumbrabat Christum, de quo dixit Ioannes Baptista: *Ecco agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioannes Euangelista in *Apo. calypsi.* *Occisus est Agnus ab origine mundi.* Columba vero, quia est symbolum innocentiae, mansuetudinis, & fidei confugatis: notat quoque mystice Spiritum sanctum, qui in specie columbae visus est in Christi baptismo. Turtur vero symbolum est solitudinis, & typum gerit veteris Synagoga per desertum peregrinantis; Ecclesiae etiam Euangelicae in hoc mundo, tanquam in eremo ac solitudine commorantis.

Duodecimo quaeritur: An Simeon fuerit Sacerdos? Lucas ca. 2. nihil de hoc expresse dixit, sed tantum hominem vocauit. Putant quidam eum Sacerdotem non fuisse, quia id Euangelista expressisset, cum ad rem facere videretur. Probabilius alij sensere, Simeonem senem istum venerabilem fuisse Sacerdotem: ob id. n. videtur, in spiritu sc. in templum venisse, vt puerum à parentibus Deo oblatum exciperet. Nam cum primogenita Deo offerrentur, oportebat Sacerdotem aliquem adesse, qui Dei nomine puerum Iesum exciperet, & tandiu retineret, quamdiu quinque siclis à parentibus redimeretur. Accedit quod Simeon benedixit parentibus, quod videtur fuisse Sacerdotum munus, non laicorum. Praeterea Sacerdotem fuisse aperte testatur Athanasius in *lib. de communis Patris, & Filij, & Spiritus sancti essentia: Videamus,* inquit, *ni. Spiritus Sanctus habet eadem oraculi potestatem. Simeon certe Sacerdoti, & seni, oraculum redditum est ab Spiritu: Nequaquam morietur, quin prius viderit Christum.* Epiphanius in *lib. de vitis Prophetarum: Simeon,* inquit, *Sacerdos è tribu Aulon emicuit: hic quippe est, qui oraculum accepit à Spiritu sancto, non visurum esse mortem, quousq. Christum Domini incarnatum videret.* Cyril. in *hom. de occurso Domini:* *Audi,* inquit, *Israel, audite omnes gentes, quem ego sacerdos vester Simeon vultu gesto, magna voce in hoc templo praedico, & testimonium meum palam commendo: Hi: Deus, & Dominus est. Maioris porro auctoritatis Athanasius, Cyrillus, & Epiphanius quam Theophylactus & Euthymius ne-*

gantes Simeonem Sacerdotem fuisse, quia id Lucas Euangelista non expresserit. At. n. quamuis Lucas aperte non tradiderit Simeonem esse Sacerdotem. ex his tamen, quae haecenus ipse narrauit, non incepte colligi videtur eum Sacerdotem fuisse: quemadmodum omnes fatentur senem eum fuisse etate prouectam: quod tamen minime explicuit idem Euangelista Lucas, sed tantum tacite insinuauit.

## CAP. XIX.

## De die festo Natiuitatis B. Virginis.

**I**vre communi hic festus seruatur, c. *Pronunciandum, de Leon. sec. d. 3. & ca. Conquestus, de Ferijs,* vbi dicitur: *Omnes festiuitates B. Virginis.* Et interpretes ibi communiter nomine festiuitatum omnium accipiunt, Annunciationem, Purificationem, Assumptionem, & Natiuitatem.

Primo quaeritur, An dies festus Natiuitatis B. Virginis ab antiquo tempore fuerit in Ecclesia institutus, & obseruatus? Quo tempore hic natalis dies B. Virginis vt festus coli coeperit, ex historijs certe Ecclesiasticis manifestum non est. Eius tamen diei meminere omnia Latinorum Martyrologia, Adonis, Vuardi, Bedae, & Romanum, Et vt testatur Galestinus in *Martyrologio,* habetur peculiaris Praefatio in hoc die festo in Sacramentario, & Antiphonato S. Gregorij, quod antiquissimum est manuscriptum in Bibliotheca Vaticana. item teste Grimoldo Abbate, meminit huius diei festi S. Ildephonsus in *lib. de Virginitate B. Mariae: Praeterea liber de diuinis officijs, qui dicitur Ordo Romanus,* sic habet: *De ea leguntur homilia sanctorum Patrum ad ipsam diem pertinentes:* Et subiicit Litanias, hoc est, publicas supplicationes ea die fieri solitas institutione Sergij Sicibi. Insuper Beda de Natiuitate B. Virginis Hymnum composuisse fertur.

Dubiae quaestio est: An hic dies festus agi, & coli coeperit ante S. Augustini saeculum? Ratio dubitandi est, quia in Ecclesiasticis officijs huius diei sermo S. Augustini legitur in haec verba: *Gaudeat terra nostra tanta Virginitate illustrata Natali:* & ex altera parte contrarium ex eodem Augustino apparet: nam in duobus sermonibus aperte dixit: *Nullius alterius ortum, quam Domini nostri Iesu Christi, & S. Ioannis Baptistae ab Ecclesia celebrari consueuisse.* Profecto verisimile est, ante Augustini saeculum non fuisse hunc diem festum institutum. nam sermo ille, qui in die Natiuitatis Deiparae legi consuevit, Augustini quidem est, sed non de Natali B. Virginis. Est enim de Annunciatione, vbi Augustinus cum dixisset: *Gaudeat terra nostra tanta Virginitate illustrata solelemni die, Ecclesiastica officia pie & religiose mutarunt illa verba. (illustrata solelemni die) in haec (illustrata Natali)* Nec id mirum est. Solet enim Ecclesia in Antiphonis & Responsorijs interdum nonnulla ex sacris litteris, & sanctis Patribus accipere, & in his non nihil mutare. Sunt qui dicant, hunc diem festum ante Caroli Magni, & Ludouici Pij saeculum in Ecclesia minime celebrari solitum, eo quod in Concilijs, quae sub ijs Imperatoribus coacta esse dicuntur, dies festus Natalis Deiparae non haberetur. Sed certe hoc dici non potest, quia, vt superius dixi, S. Ildephonsus in *lib. de Virginitate B. Mariae,* mentione facit huius diei festi. Beda item in *Martyrologio sexto Idus Septembris* ponit Natiuitatem B. Mariae. Sergius I. huius nominis Romanus Pontifex, publicas Litanias indixit in quatuor celebratibus Deiparae, videlicet, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis, & Natiuitatis, & S. Ildephonsus, Beda, & Sergius I. ante Ludouici Pij, & Caroli Magni tempora floruerunt.

Nec obstat, nullam esse in Concilijs praedictorum Imp. saeculo celebratis, mentionem factam huius celebratis: hoc enim solum indicat, Gallicanas Ecclesias nondum

eo tempore hunc diem festum agere & obseruare cœpisse. Quare falsum omnino est, quod quidam auctor scripsit, hanc Beatæ Virginis celebritatem ab Innocentio IV. esse institutam. Deceptus est, videlicet ille auctor, quia Durandus, Beletus, Platina, & alij dixerunt, ab eo Pontifice Octauas huius diei festi esse institutas, non ipsam diei festi celebritatem.

Mihi admodum verisimile sit, Ephesini & Calcedonenensis Concilij temporibus, Natalem Deiparæ inter dies festos celebrari, & coli cœpisse: tunc enim damnata est hæresis Nestorij, qui impie, & nefarie negabat Beatam virginem fuisse Dei genitricem, & tunc floruit Cyrillus Alexandrinus, qui fuit religiosissimus Beatæ Virginis cultor. Hinc est, vt extent homilæ S. Germani, S. Procli, Andree Cretensis, & Damasceni de Natali Deiparæ Virginis.

Secundo quaeritur, Vnde nam habeatur, Beatam virginem sanctam fuisse, antequam nasceretur? Respondet S. Thomas *tertia par. quest. 27. art. 1.* hoc ex factis literis non haberi, sed traditionem esse Ecclesiasticam, eam in vtero matris suæ fuisse sanctitatem adeptam. Nam credendum est, data esse Deiparæ privilegia gratiæ, quæ alijs sanctis fuisse concessa Ioannes Baptista Spiritu sancto repletus est adhuc ex vtero matris suæ. Item Hieremias sanctus fuit, antequam natus, vt communiter Patres docuerunt, Origenes *homil. 1. in Hieremiam*, Tertullianus *lib. de Anima, c. 26.* Achanasius *serm. 4. contra Arianos*, Nazianzenus *oratio. 1.* Ambrosius *Luc. 1. Leo sermon. 10. de Natiuit.* Bernardus *epistol. 174.* quicquid dicant alij quidam iuniores Catholici: ergo B. Virgo in vtero matris sanctitatem consecuta est.

Quæres, An fide Catholica credamus, Deiparam sanctam fuisse ante ortum suum? Caietanus in *Opuscul. Tom. 2. Traç. 1. cap. 1.* putat, hoc tantum probabiliter, & pie in Ecclesia credi. Cæterum alij, vt Catharinus *lib. 4. contra Caietanum*, & Corduben. *lib. 1. quest. 44. conclus. 4.* Caietanum in hac parte reprehendunt: aiunt enim, fide catholica credi, Deiparam semper virginem in sanctitate natam esse. Volunt alij, non quidem hoc contra fidem esse, sed fere errorem in Fide, oppositum affirmare: certe, Ecclesiastica traditio videtur in hac parte fidem facere: nam eiusmodi Ecclesiæ traditione multa alia credimus, quamuis ex sacris litteris ea non habeantur, atque colligantur.

Tertio quaeritur, an Beata Virgo ex tribu Iuda, & familia Dauidis genus & originem traxerit? Certum est, fuisse eam ex familia Dauidis Regis procreatam: nam Christus Dominus *Apocalypsis quinto*, dicitur Leo de tribu Iuda, & radix Dauid: Paulus *ad Romanos quinto*, dicit: *Qui factus est ex femine Dauid secundum carnem*, ac Christus Dominus fuit vere filius Beatæ Virginis: ergo Beata Virgo fuit ex tribu Iuda, & familia Dauidis; ac proinde Lucas *capite secundo* scribit, ascendisse Beatam virginem vna cum Ioseph in Bethlechem civitatem Dauid, vt describerentur, eo quod essent ex domo & familia Dauidis. Obijcies id, quod olim obiecit Faustus Manichæus apud Augustinum *libro 23. cap. 3. & 4.* contra illum, non potuisse genus it. here ex familia Dauidis, quia Deipara fuit ex tribu Leuitica, & cognata Elisabeth. *Luc. primo.* Respondet, hoc nihil impedire, eo quod mater Elisabeth potuit esse ex tribu Iuda, & familia Dauidis, & proinde cognata Mariæ. Sic Ambrosius *libro tertio in Lucam* & Theophylactus in *Matthæum 1.* Item fieri potuit, vt Anna mater Deiparæ, vel Ioachim pater eius matrem haberet ex tribu Leuitica.

Quarto quaeritur, An Beata Virgo descenderit ex tribu Iuda, & familia Dauidis per lineam maternam simul & paternam? Communis est sententia Beatam virginem per matrem simul & patrem, videlicet Annam, & Ioachimum, fuisse progenitam ex familia Dauidis: quamuis Augustinus *libro quarto contra Faustum*, asserue-

rit satis esse ad scripturæ veritatem, vt Christus filius Dauidis dicatur, si Deipara saltem per matrem genus, & originem traxerit ex Dauid. Sed Damascenus *lib. 4. cap. 15.* & Ambrosius *lib. 3. in Lucam*, aperte testantur, Ioachimum & Annam B. Virginis parentes fuisse ex familia Dauidis.

Quinto quaeritur; An Beata Virgo fuerit ex familia Dauidis per lineam regalem, hoc est, An descenderit ex Dauid per Salomonem, & posteros eius, an verò per Nathan filium Dauidis, & posteros ipsius Nathan? Communis est Patrum sententia, descendisse ex Dauid per lineam regalem. Ambrosius *libro tertio in Lucam*, & Hieronymus *Hieremia vigesimo secundo*, & *trigesimo octavo*, & *Zacharia quarto*, & Theodoretus *Hieremia vigesimo secundo* aperte fatentur Christum ex Salomone, & Ezechia descendisse, & ex femine Sedechiæ per Salathiel, Zorobabel, & reliquos venisse: in Psalmo etiam 131 promissum est Dauidi: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: quod dictum est propter Salomonem, typice Christi personam referentem.

Sexto quaeritur, Quomodo Matthæus *capite primo*, & Lucas *capite tertio* conueniant in extendenda, B. Virginis, & Christi Domini genealogia; cum Matthæus dicat, Ioseph filium fuisse Iacob, & Lucas referat fuisse filium Heli: Olim Iulianus Apostata, vt testatur Hieronymus *Matth. 1.* hanc Euangelistarum discordiam Christianis obiecit: eandem quoque Manichæus opposuit referente Augustino *lib. 2. Retract. c. 7.*

In primis hæc repugnantia non soluitur ab eo, qui dicit, Iacob, & Heli vnum fuisse, & eundem hominem sed duobus nominibus appellatum. Nam vt optime notauit Augustinus *lib. 2. Quest. Euangelicarum cap. 5.* diuersi aui, proauj, abauj, & atauj Iacob, & Heli describuntur apud Matthæum, & Lucam vsque ad Dauidem: ergo necesse est, vt Iacob & Heli fuerint diuersi homines, eo quod diuersos progenitores habuerint. Idem Augustinus *lib. 1. de consen. Euangelista. cap. 3. & lib. 3. contra Faustum cap. 3. & lib. 28. cap. 3.* dicit, Ioseph sponsum Virginis fuisse filium Heli, non naturam, sed adoptione: filium vero Iacob naturam, & generatione. Ad hunc modum conciliandi Euangelistas idem Augustinus non videtur valde approbare, *lib. 2. Retract. cap. 7.* Aliter ergo ipsemet conciliat Euangelistas *lib. 2. Quest. Euangelista. cap. 5.* videlicet, Heli fuisse a uum mater num ipsius Ioseph, ita vt Matthæus describeret generationem Ioseph per patrem, scilicet Iacob, Lucas vero per matrem, cuius non emittit quia femina erat, & ideo posuit a uum maternam, nempe Heli. Vnde cum Lucas ait: *qui fuit Heli*: sensum habet: *Qui scilicet Ioseph, fuit nepos Heli per lineam maternam ipsius Ioseph.*

Sunt duæ aliæ sententiæ, vna est communi consensu omnium Patrum recepta. Ioseph fuisse filium naturam, & generatione Iacob, & hoc est quod dicit Matthæus: *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ*: sed fuisse filium Heli non naturalem, sed legalem. Iacob enim & Heli fuerunt fratres uterini tantum, hoc est, ex parte matris, non patris: & quia Heli mortuus est sine liberis, frater eius Iacob secundum legem Dei *Deuter. 25.* duxit uxorem viduam reliquam sine prole, vt suscitaret semen fratris, & ita ex ea genuit Iosephum sponsum Virginis. Huius sententiæ primus auctor fuit teste Eusebio *lib. 1. Eccles. Histor. cap. 7.* Iulianus Africanus, qui affirmavit se eam didicisse à consanguineis Christi: quam sententiam postea secuti sunt communiter Patres, Iustinus Martyr *quest. 131. ad Gentem*, Nayanzen *in carmine de genealogia Saluatoris*, Augustinus *loco supra citato*, Hierony. *Matth. 1.* Ambrosius, Anselmus, Beda, *Luc. 3. Damasc. lib. 4. cap. 15.* S. Thomas *3. par. q. 31. ar. 3. ad 2.* & Augustinus, quamuis eam vt dubiam habuerit, *lib. 2. de consen. Euangel. cap. 4. & lib. 3. contra Faustum c. 3. & lib. 28. contra eundem cap. 3.* tandem *lib. 2. Retract. cap. 7. 12. & 55.* eam probauit. Et reuera ita est dicendum: tum quia eiusmodi sententiam communiter Patres sequuntur, tum

quia

quia, vt supra iam diximus, ait, se ita didicisse a consanguineis Christi Domini.

Est nihilominus alia sententia iuniorum interpretum afferentium Matthæum descripsisse genealogiam Christi Domini per Ioseph, Lucam vero per Matrem: & ideo Matthæus dixit: *Iacob genuit Ioseph virum Mariae*, Lucas vero dixit, *Et ipse Iesvs erat incipiens quasi annorum triginta: vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthan, & reliqui* quidam ex prædictis auctoribus illud relatiuum *qui fuit Heli*, referunt ad Iesum Christum & sensum esse dicunt: *Qui scilicet Iesus Christus fuit Heli*, id est, nepos Heli, puta Ioachim per matrem. Abj vero referunt ad Iosephum, sed aiunt sensum esse: *Qui fuit Heli*, quod est dicere, *Qui fuit gener ipsius Heli*, intellige Ioachim, nam feceri solent suos generos vocare filios. Prædicti Auctores sentiunt, Heli apud Lucam, fuisse Ioachim patrem B. Virginis duplici nomine vocatum Heli, & Ioachim, quia Heli idem est qui Heliachim, & Heliachim idem qui Ioachim. & tum nepos, tum gener dicitur vsitato nomine filius aui, vel feceri. Quare illis verbis: *Qui fuit Heli*, possumus intelligere, Christum nepotem Heli, id est, Ioachim, & ipsum Iosephum, qui eo quod gener fuit Heli, id est, Ioachim, vere dicitur filius eius. Hæc sententia mihi non placet, in primis enim id est nouum, deinde inuistatum, cum præcedant duo antecedentia, & subsequitur relatiuum, illud relatiuum referri ad remotum antecedens, non ad proximum. Tertio, non videtur cum Lucæ sensu conuenire *Qui fuit Heli*, id est, *Qui fuit gener*: nam in ceteris Lucas semper intelligit, cum ait: *Qui fuit huius vel illius*, id est, *Qui fuit filius*, vel nepos. Accedit quod nullo Scripturæ testimonio probatur, Heli fuisse eundem qui Ioachim, quamuis Heliachim aliquando fuerit idem qui Ioachim. Tenenda est igitur communis veterum Patrum sententia, Iosephum sponsum Virginis fuisse filium naturalem Iacob, & legalem Heli.

Contra hæc nihilominus sententiam quædam obijciuntur. Primum, si Iacob, & Heli fuerint fratres, quomodo apud Matthæum, & Lucam dicuntur habuisse diuersos patres, auos, proauos, abauos? Respondeo, eos fuisse fratres tantummodo vterinos, id est, ex parte matris, non patris: nam Matthan duxit uxorem Ischa, & ex ea genuit Iacob patrem Iosephi mortuo Matthan, relicta est vidua Ischa, quam sibi matrimonio copulauit Matthan, & ex ea suscepit Heli, ac proinde Heli, & Iacob ex eadem matre, non patre fuerunt. Sic communiter veteres Patres.

Secundo obijciuntur: si Iacob, & Heli habuere diuersos progenitores vsque ad Dauidem regem, quomodo Lucas inter progenitores Heli ait fuisse Zorobabelem, qui fuit Salathiel, cum Matthæus quoque dicat inter progenitores Iacob fuisse Salathielem, qui genuit Zorobabel: & tamen idem Lucas, & Matthæus post Salathielem & Zorobabelem, vsque ad Dauidem regem, diuersos progenitores recensent. Respondeo, Euthymium, & quosdam recentiores putasse Salathielem, & Zorobabelem apud Matthæum, & Lucam fuisse eosdem, & nihilominus vsque ad Dauidem habuisse diuersos patres, auos, & proauos: quia Salathiel fuit filius naturalis Iechonias, & hoc est, quod dicit Matthæus & fuit filius legalis Neri, & hoc est, quod refert Lucas. Et descendit ex Dauid per Nathan, Iechonias per Salomonem. Sed probabilis mihi videtur, quod alij dixerunt, eos nimirum fuisse diuersos, eisdem licet nominibus appellatos. Lucas igitur totam genealogiam Christi & Beatæ Virginis refert ad Dauidem per Nathan, & posteros eius vsque ad Heli patrem legalem, non naturalem Iosephi: Matthæus vero refert vsque ad Dauidem per Salomonem, & alios reges posteros eius, donec veniat ad Iacob patrem naturalem Iosephi.

Tertio obijciuntur: Ioseph non fuit pater naturalis Christi, quid ergo opus fuit, vt in genealogia Chri-

sti numerentur progenitores Iosephi: aut si Matthæus recte eos recensuit, decuit sane, vt Lucas saltem referret progenitores Christi per Beatam Virgineam, quæ fuit naturalis mater eius, vt sic constaret, Christum secundum carnem vere descendisse ex familia Dauidis. Respondeo, Euangelistas, progenitores Christi numerasse per Iosephum, non per matrem, quia motus erat apud Hebræos genealogias referre per viros, non per feminas. Et quamuis Ioseph non fuerit pater naturalis Christi, fuit tamen vt Beat. Virginis, & Beata Virgo secundum legem Domini cogebatur virum accipere ex eadem Tribu & familia, quia hereditatem paternam habebat, & proinde ratione hereditatis paternæ debebat coniungi viro eiusdem Tribus, & familiæ, ne hereditates ex vna Tribu in aliam transirent; & ne familiæ, quæ per hereditates distinguebantur, confunderentur.

Quarto obijciuntur, *Quia iuxta legem Domini Deuteronom. 25. Ioseph debuit appellari nomine Heli*, nam lex sic habet: *Si habitauerint fratres simul, & vnus ex eis abfque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israël*. Ergo si Ioseph fuit filius legalis Heli, consequens fuit vt eius nomine vocetur: quod tamen factum non est. Hoc argumento vsus est Beatus Augustinus libro secundo, de consens. Euangelista, cap. quinto, & ideo prædictam Iulij Africani sententiam tacito nomine improbavit. & dixit, Ioseph fuisse filium Heli, adoptione, non natura, nec legalem, iuxta legem Deuteronom. 25. Respondeo, eundem Augustinum libr. 2. Retractationum ca. 7. & 12. (vt supra retulimus) retractasse opinionem suam, dixisseque, nullius esse momenti argumentum, quo fuerat vsus ad oppositum probandum, quia lex Deuteronom. 25. non significat primogenitum debere habere nomen defuncti, sed tanquam filium eius habendum, & in familia eius numerandum.

Quinto Lex Deuteronom. vigesimo quinto, solum locum habet in fratribus germanis natis ex eodem patre, & matre: & habitantibus simul, id est, in eadem patria, & domo: non ergo locum habuit in Heli, & Iacob, qui erant tantum vterini fratres. Respondeo, legem fuisse generalem, ita vt si quis absque liberis decessisset, frater eius quicumque esset, deberet suscitare semen illius ex vidua relicta: quod si nullus frater extaret, cognatus proximus ex eadem familia cogebatur secundum legem viduam relictam sine liberis, vxorem ducere, & ex ea suscitare semen fratri defuncto. Atque hoc exemplum habemus in Booz, qui in vxorem accepit Ruth, quia cognatus eius, non frater, absque prole decesserat. Id vero quod habetur in lege: *Si habitauerint fratres simul, &c.* nihil cogit: quia hunc sensum habet; Vno ex fratribus moriente absque liberis, alter frater si in eadem patria commoraretur, cogebatur vxorem defuncti ducere. Dicitur igitur est: *Si habitauerint fratres simul*, quia si frater defuncti longe absens in alia regione commorabatur, non ardebatur lege ad ducendam vxorem defuncti, ac proinde tunc alius consanguineus proximus eiusdem familiæ debebat vxorem defuncti matrimonio sibi coniungere. Præterea, in lege non dicitur: *Si habitauerint fratres ex eodem patre, & matre progeniti: ergo satis erat, si fratres vterini essent, qui simul etiam habitare poterant in eadem patria, & domo.*

Sexto quaeritur, An verum sit, quod Sanctus Hilarius cap. 1. in Matthæum, & Ambrosius Luca 3. testantur, Matthæum narraffe Christi generationem regiam, Lucam vero Sacerdotalem? Ratio dubitandi est, quia posteri Davidis Sacerdotes esse non potuerunt, quia erant ex tribu Iuda. Nec id impedit, quod habetur secundo Regum octauo; *Filij David Sacerdotes erant*: ibi enim significatur tantummodo, filios Davidis fuisse primarios viros in aula regia: nomen enim Hebræum significat vtrumque, videlicet,

Deut. 25



Sacerdotem, & principem. Respondeo verum esse, quod prædicti Patres docuerunt; id autem, qua ratione locum habuerit, explicat S. Augustinus in libro octoginta trium *Questionum. quæst. 61.* *Nathan,* inquit, *filius David, à quo posteritas est apud Lucam usque ad Heli, uxorem duxit ex tribu Sacerdotali, & sic posteri eius ex regia, & Sacerdotali tribu originem habuerunt.*

Septimo quaeritur, An beatissima Virgo fuerit filia vnica suis parentibus, scilicet, Ioachimo, & Annæ? Fuit olim communis sententia historicorum, etiam communi Scholasticorum Theologorum consensu recepta, Annam tribus viris nuptam fuisse: quorum primus fuit Ioachim, ex quo genuit Mariam matrem Domini, quæ nupsit Iosepho: quo mortuo, nupsit Cleophæ, & ex illo genuit alteram Mariam; quæ matrimonio iuncta est Alphæo, ex quo filios habuit Iacobum cognomento Minorem, & fratrem Domini appellatum, Iudam Thaddæum, & Simonem, & Iosephum cognomento Bersabam, qui in Euangelio fratres Domini vocantur. Et hæc Maria *Ioannis decimonono* dicitur soror matris Domini, & Maria Cleophæ, id est, vxor. Post obitum Cleophæ, Anna virum accepit Salome, ex quo genuit tertiam Mariam, quæ data est in matrimonio Zebedæo, & ex eo genuit Iacobum Maiorem, & Ioannem Euangelistam.

Nunc vero altera est iuniorum sententia, Annam matrem Deiparæ vni tantum viro nupsisse scilicet Ioachimo, & ex eo vnica duntaxat filiam habuisse, Mariam matrem Domini: quæ certe opinio est valde probabilis, quia Anna cum primum sterilis esset, in prouecta ætate, & senectute dicitur genuisse ex Ioachimo Mariam B. Virginem: quare non est verisimile, postea deobus viris nupsisse. Deinde cum sterilis primum esset, fertur precibus filiam consecuta, videlicet Mariam Dei genitricem: & credibile est, tanto eam beneficio iam donatam à Deo, nulli alteri viro nupsisse, vnica filia tali & tanta precibus impetrata, contentam.

Nec obstat id, quod habetur *Ioann. 19.* quod Maria Cleophæ dicitur soror matris Domini: soror enim propterea dicta est, quia Cleophas vir eius erat frater Iosephi sponsi virginis; ac proinde Maria vxor Cleophæ & mater Domini dicebantur sorores, quia erant duobus fratribus nuptæ. Nec etiam obstat, quod Iudas, Simon, Iacobus, & Ioseph in Euangelio dicuntur fratres Domini: dicebantur enim fratres, quia erant filij Cleophæ, qui erat frater Ioseph sponsi virginis, & Ioseph cum vulgo putaretur pater Domini, quatuor prædicti filij Cleophæ vulgo dicebantur fratres Domini eo quod crederentur filij duorum fratrum.

Octauo quaeritur, Quo mense, & quoto die mensis nata sit Beatissima virgo? Ecclesiastica traditio habet, Deiparam natam esse Sexto Idus Septembris, id est, 8. die mensis. Communis quoque sententia est, natam fuisse Imperij anno sub Augusto Cesare 28. aut 29. nam decimo quarto ætatis suæ anno nupta est Iosepho, & ad exitum anni vel initio anni decimi quinti genuit Christum Dominum. quare cum Christus sit natus anno quadragesimo secundo Imperatoris Augusti, consequens est, vt Beatissima virgo nata fuerit anno 28. vel 29. eiusdem Imperatoris.

Quota autem hora eadem B. Virgo nata fuerit certo non constat. Durandus *lib. 7. c. 28.* testatur, ex reuelatione cuidam viro religioso facta, innotuisse, Deiparam natam esse illucescente aurora. Decuit nimirum, vt quæ verum Iustitiæ solem tanquam aurora præcedebat, nasceretur in mundo aurora diei appetente. Tres natales dies tanquam sanctos colit, & celebrat Ecclesia; videlicet Natalem Ioannis Baptistæ, qui tanquam Lucifer ante Christum apparuit: & Natalem B. Virginis, quæ illuxit tanquam aurora: & Natalem Christi Domini, qui natus est tanquam sol, omnia sua luce, hoc est, sui Euangelij doctrina complectens.

## CAP. XX.

## De die festo Assumptionis B. Mariæ.

**I**tre communi seruatur hic dies festus. *cap. Pronunciandum, de consec. dist. 3.* & Doctores omnes in *ca. Conquestum, de Ferijs.*

Primo quaeritur, Quam antiqua sit huius diei festi celebritas? Sicut qui putent, eam esse ab Apostolis institutam. Verum probabilis alij opinantur id, quod habet S. Bernardus *Epist. 174.* Ecclesiam hunc diem festum instituisse. Sed dubia quæstionis est, quo tempore cepit Ecclesia celebrare eum diem. Certo non constat, quando præcise coli cepit. Legitur in officio Diuino huius diei, Homilia quadam nomine Athanasij, vbi aperte habetur, Deiparam animo, & corpore esse in cælum assumptam: eam tamen Homiliam nonnulli credunt esse Cyilli Alexandrini, non Athanasij, cum in ea homilia Nestorij hæresis confutetur, qui fuit tempore Cyrilli Alexandrini, & Ephesini Concilij. Sed hoc argumentum non omnino conuincit, quia fortassis ea homilia est Athanasij, & deinde ab aliquo sunt adiecta ea, quibus Nestorij hæresis damnatur. Leguntur quoque duo sermones Augustini nomine, quos tamen, tanquam alterius Auctoris Ichoa Louanienis in Appendice collocauit. Extrat etiam inter opera Hieronymi sermo nomine ipsius inscriptus, vbi continetur Assumptio B. Virginis in cælum: qui quidem sermo quamuis Hieronymi non sit, videtur tamen secundum aliquos Sophronij, viri Græci, qui fuit Hieronymo æqualis: sed alij putant, illum Sophronium fuisse Patriarcham Hierosolymitanum, qui vixit tempore Concilij septimi Generalis, quia in ea epistola multa dicuntur, ad confutandam hæresim Nestorij, qui post Hieronymum vixit. Refert Nicephorus *lib. 17. c. 28.* Mauritium Imperatorem constituisse, vt hic dies ab omnibus haberetur festus & sacer.

Ceterum hoc, tanquam falsum, alij rejiciunt: eo quod huius diei festi celebritas antiquior esse videatur. Certe verisimile est, anniuersariam huius diei festi memoriam olim celebrari cepisse, statim post Ephesinum Generale Concilium: nam eo tempore fuit hæresis Nestorij damnata, qui negabat B. Virginem fuisse Dei genitricem: & proinde eo tempore cepit amplior cultus, & honor B. Virgini deferri, quam antea: & eo tempore vixit Cyrillus Alexandrinus Ep. Scopos, qui Deiparæ honoris, cultus, & laudis fuit studiosissimus. Vnde superiori etiam capite diximus, ab eo tempore cepisse coli diem natalem B. Virginis: postea vero Imperator Mauritius sua auctoritate præcepit per Orientem, vt ab omnibus coleretur dies, qui ab Episcopis fuerat institutus tanquam sacer, & festus Deiparæ in cælum assumptæ. Exant de huiusmodi diei festi celebritate sermones Damasceni, Andree Episcopi Cretensis, Iouenalis Episcopi Hierosolymitani, Simeonis Metaphrastis. Item Epiphanius presbyter Constantinopolitanus, qui tempore Concilij 7. Generalis vixit, librum edidit, de vita, meritis, & obitu Deiparæ.

Secundo quaeritur, An Beatiff. virgo diem suum obierit, an vero absque morte fuerit in cælum translata? Epiphanius *Hæresi 78.* sic habet: *Non autem desino hoc omnino, & non dico, quod immortalis mansit: excessit enim Scriptura mentem humanam, & in suspensio reliquit, propter vniuersi precium, ut que excellentissimum, vt ne quis ad suspensionem veniat carnalium de ipsa verum. Siue igitur mortua est, non nouimus, sine sepulchro est: neque enim datur inuenire mortem ipsius. Alitubi enim Simeon dicit de ipsa: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex corda multorum cogitationes. Alitubi vero Apocalypsis Ioannis dicit, quod draco sstissimus ad mulierem, que genuit masculum, & data sunt ipsi ala aquile, & assumpta est in desertum, vt non ipsam acciperet draco. Fortassis potest de ipsa accipi, & impleri. Hæc Epiphanius disputabat tunc contra Hæreticos, qui eam immortalem, &*

Deam esse dicebant. Ceterum, constans est veterum Patrum sententia, B. Virginem mortuam fuisse. Sic enim tradiderunt Damascenus in fermionibus, quos scripsit de dominione sanctissimæ Domine nostræ Deiparæ, Andreas Episcopus Cretensis apud *Simeonem Metaphrastem in vita eius in die 15. Augusti*. Euodius Episcopus Antiochenus secundus post S. Petrum apud *Nicephorum lib. 2. cap. 3.* Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus apud eundem *Nicephor. cap. 23.* Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus in *vita Deiparæ*. Simeon Metaphrastes in *vita eiusdem Deigenitricis*. sic habent Martyrologia Latinorum, Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Romanum ad diem decimam quintam Augusti. Sic etiam *Nicephor lib. 21. 22. 23.* Id omnes acceperunt ex B. Dionysio Areopagita, cuius testimonium citat *Nicephorus lib. 2. cap. 2.*

Tertio quaeritur, Quo genere mortis diem extremum B. Virgo clausit? In primis communis est Patrum sententia, eam absque martyrio vitam finivisse. Vnde Ambrosius *Luc. 2.* super illa verba Simeonis: *Et tuam ipsius animam pertulit gladius, ait: Nec littera, nec historia docet, ex hac vita Mariam corporalis necesse migrasse: nec enim anima, sed corpus materialis gladio transverberatur.* Idem tradunt *Isidorus libro de vita, & morte sanctorum cap. 68.* Beda *Luc. 2.* Damascenus *oration. 2. de Dormit. Deiparæ.* Deinde ex hac vita migravit absque vilo dolore mortis. Vnde Damascenus loco citato ait: *Vt enim antequam vilo partus dolore afficeretur, peperit, sic etiam ipsius de vita discessus doloribus caruit.* Idem testatur Hugo Victorinus *lib. 3. eruditiois Theologicae c. 115.* Tertio corpus eius post obitum incorruptum & immaculatum permansit. Sic Auctor libri *de Assumpt. B. Mariae Virginis, qui est inter opera Augusti. tom. 9.* Damascenus vero in *orat. 1. de Dormit. Deiparæ* ait: *Nam cuius in partu incoluit virginitas mansit, eadem de vita migrante corpus, in conservatum est, ut non dissolutum, sed ad praesentiorum & diuiniorem vitam, quæque non iam morte interrumpitur, verum in infinita sacula seculorum permanet, translaturum sit.* Et paulo inferius ipsam Deiparam virginem alloquens: *Non enim, inquit, anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit.* Sic ille. Anima virginis statim, vt est corporeis vinculis soluta, claro obruto Deum vidit, & corpus anima destitutum, integrum atque incorruptum permansit. Solent nobilitas, & primarij viri, regijs privilegijs esse immunes ab omni tributi genere: decuit quoque vt Beatissima Virgo, regio sui Filij privilegio, immanis, & vacua esset à mortis doloribus, & corruptione corporis. In *l. Principes ff. de legibus*, Vlpianus Iurist. consules ait: *Principes legibus solutus est: Augusta autem licet legibus soluta non est, Principes tamen eadem illi privilegia tribuit, quæ ipsi habent.* Olim Arca testamenti capta est à Philistæis, & illata, & illata conserva est: introducta est in sanum Dagonis, sed coram ea cecidit Dagon, sic Deipara Sanctissima, quamvis capta morte, quamvis manibus, vel humeris Apostolorum deportata, & in sepulchram illata, integro tamen, & incorrupto corpore semper fuit, mors eam suis doloribus non attigit. Terra corpus quidem illius excepit, sed integrum seruaui & reddidit, sepulchram, vt potuit, tanti corporis praesentiam timuit, coluit, & honorauit: inde superunt vermes sepulchrae comites atque satellites: Arca foederis sacerdotum humeris delata per Iordanem fluvium transiit aquis hinc inde diuisis, sic Beata Virgo per mortem transiit quidem, sed integro, & illaeso corpore mortis doloribus hinc, inde depulsis. Decuit itidem, vt moriens illa mundi Regina nullum triburum solueret, quæ in hunc mundum ingreditis, & in hoc mundo viuens, immunis ac libera fuerat ab omni peccati tributo, & onere. Obijt igitur Beatissima Virgo non morbo arrepta, non vilo dolore oppressa; sed tota sui Filij desiderio, & amore flagrans. Obijt autem illa, quia Filius animam eius quando, & quomodo voluit, soluit & eduxit de corporis vinculis. Et ideo Damascenus, & alij Patres obitum Virginis vocant Dormitionem.

Quarto quaeritur, Quam morti B. Deiparæ, & funeri eius interfuerint? Communiter testantur Pates, Apostolos ad obitum, & funus eius conuenisse. Damascenus in *orat. 2. de Dormit. Deiparæ*, Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus *oratione, quam habuit ad Imperatorum Martinum in Concilio Chalcedonensi, quam recitat Damascenus loco citato*, Andreas Episcopus Cretensis apud *Simeonem Metaphrastem*, Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus in *libro de vita, & obitu Deiparæ*, Simeon Metaphrastes in *vita eiusdem*, Glycas in *Annalibus*, *Nicephor. lib. 2. cap. 21. 22. 23.* Id autem omnes isti acceperunt ex B. Dionysio Areopagita, *lib. de Diuinis nominibus cap. 3.*

Sed quam ratione Apostoli, ad funus Deiparæ conuenire potuerunt, cum iam illi essent per totum terrarum orbem dispersi, ad promulgandum Christi Euangelium? Quidam aiunt, tunc eos Hierosolymam circa mitaculum quibusdam ex causis concurrisse. Sed Damascenus *orat. 2.* id diuinae tribuit virtuti, *Diuino*, inquit, *imperio nubes retis cuiusdam instar, ad Hierosolymam urgebat, veluti aquilas quasdam impellens, atque in unum eogens.* Iuuenalis in *oratione superius citata*: *Sancti omnes, & apostoli, qui Gentilium salutis causa, terrarum orbem peragrabant, temporis puncto per alium abrepti, Hierosolymam conuenerunt.* Sic etiam *Nicephor. lib. 2. cap. 21.*

Rogabis deinde, An illi etiam Sancti, præter Apostolos, morti, & funeri Sanctissimæ Deiparæ interfuerint? Iuuenalis Damascenus, & Nicephorus testantur, alios quoque multos Domini discipulos conuenisse, Angelos quoque è caelo venientes affuisse, Hymnos, Psalmos, & Laudes cantantes & funus ad sepulchram comitantes: ex Patriarchis itidem, Prophetis, & alijs Sanctis caeli habitatoribus multos venisse: testantur etiam Christum Dominum ad Matrem descendisse, & cum ea iam moritura locutum fuisse.

Quinto quaeritur, Quoto anno ætatis suæ Beatissima Virgo obierit diem suum? sunt qui affirmant eam decessisse vno anno, & aliquot mensibus à morte Christi: ac proinde mortuam esse anno ætatis suæ quadragesimo nono, vel quinquagesimo, quippe quæ anno ætatis suæ decimoquinto peperit Saluatorem, deinde vixit vna cum Filio triginta tribus annis, qui omnes anni conficiunt octo, & quadraginta, postea vixit vno anno, & aliquot mensibus: quorum sententia communi consensu rejicitur.

Alij dicunt, post mortem Filij vixisse duodecim annis, & obiisse anno ætatis suæ sexagesimo, sic Euodius Episcopus Antiochenus apud *Nicephorum lib. 2. cap. 3.* & Hippolytus Thebaeus apud *Epiphanium presbyterum Constantinopolitanum l. br. de vita, & obitu Deiparæ*. Hæc quoque sententia communi consensu rejecta est.

Est tertia opinio afferentium, eam ex hac vita migrasse anno decimoquinto post mortem Filij, & proinde anno ætatis suæ sexagesimo tertio: hæc opinio videtur esse communis: vulgo recepta.

Quarta sententia est Epiphanius Presbyteri Constantinopolitani in *libello de vita, & obitu Deiparæ* eam mortuam fuisse ætatis suæ septuagesimo tertio aut septuagesimo secundo, aut septuagesimo primo, ita vt post necem filij vixerit annis viginti quinque, aut viginti quatuor, aut viginti tribus, sic etiam Cedrenus in *Compendio Historiæ*, ubi agit de Tiberio Imperatore, id probat Epiphanius, quia Dionysius Areopagita cum Apostolis interfuit mortis, & funeri eius vt ipse testatur *lib. de diuin. nomin. cap. 3.* at vt communis habet opinio, Dionysius ad Christum conuersus anno 19. post mortem Domini: ergo non potuit Hierosolymis adesse ante annum 52. Christi Domini, qui fuit 18. vel 19. à morte eius, & primus conuersus Dionysij, ac proinde consequens est, vt Deipara vixerit vltra 66. annos. Sed meo iudicio, non est cur à communi sententia recedamus, quæ tradit eam vixisse in vniuersum annis tribus & sexaginta: nam fortassis Dionysius conuersus est ante annum Domini quinquagesimum secundum.

Secundo queritur, An Sanctissima virgo animo, & corpore fuerit in caelum assumpta? Constantis est Graecorum Patrum sententia, eam animo, & corpore in caelum migrasse. sic Athanasius, vel vt alij ma'unt, Cyillus Alexand. in oratione, qua legitur in officio Diuino Assumptionis Dominae nostrae. Damascenus in orat. 2. de Dormit. Sanctiss. Deipara, Iuuenalis Hierosolym. Episcopus, Andreas Cretensis Episcopus, Simeon Metap. Maximus Abbas in orationibus de Dormitione B. Mariae Virginis. Glycas. & Nicepho. sic etiam Scholastici Latini Theologi, B. Thom. 3. p. q. 27. ar. 1. & 8. Bonauentura in Speculo B. Mariae c. 2. Anconius 1. par. tit. 6. cap. 3. & ante eos Anselmus de Excellent. B. Virginis cap. 8. Rupertus in Cantica ca. 6. Richar item in Cantica cap. 4. Hugo lib. 3. Erudit. Theologica cap. 125. & ante eos omnes Auctores libelli de Assumptione B. Mariae inter opera Augustini Tom. 9.

His quae diximus, quaedam obijciuntur. Primo, quod Gelius I. in cap. Sancta Romana Ecclesia distind. 15. apocryphum censet librum de transitu B. Mariae Virginis, Respondeo, huiusmodi librum apocryphum haberi, non quia narret Deiparam animo, & corpore fuisse ad caelum translata, sed quia multa alia referat, quae sunt incerta, & dubia.

Deinde obijciunt nonnulli: In Epistola ad Paulam, & Eustochium dubitat Hieronymus, aut Sophronius, vel qui cunque sit illius Epistolae scriptor, an Deipara sit in caelo animo, & corpore. Respondeo quamquam ille Auctor dubitanerit, scriptores tamen supra memorati tanquam rem certam tradiderunt; quibus potius est fides habenda, eo quod rem hanc magnis, & multis argumentis comprobauerunt.

Tertio: Vsuarius, & Ado in Martyrologijs suis die 15. Augusti sic habent: Dormitio B. Mariae Virginis; cuius sacratissimum corpus, et si non inuenerit super terram, tamen pia mater Ecclesia eius venerabilem memoriam sic festiuam agit, vt pro condicione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem loco venerabile illud Spiritus sancti templum, nunc. & consilio Diuino occultatum sit, plus elegit sobrietate Ecclesia cum pietate nescire, quam aliquid frivolum & apocryphum tenendo docere. Sic ibi. Respondeo, eos Auctores haec dixisse, permoros auctoritate praedictae Epistolae ad Paulam, & Eustochium, cuius auctorem illi fuisse Hieronymum crediderunt. Sed certe Martyrologia, Romanum, & Bedae, non habent illa verba, nec dicunt, Dormitio B. Mariae Virginis, sed, Assumptio: quo verbo significatur eam animo, & corpore esse in caelum euectam: alioqui enim si tantum animo, non corpore esset ad caelum translata, non diceretur Assumptio? sicut ceteri sanctorum hominum spiritus non dicuntur assumpti, quamuis soluti corporibus in caelum euolauerint: Christi vero Domini dicitur Ascensio, quia propria virtute ascendit. B. Virginis est Assumptio, quia non propria virtute ascendit in caelum, sed quia singulari Dei privilegio est euecta in caelestem patriam animo & corpore.

Decuit reuera, vt Beatissimae Virginis corpus quod erat ab interitu, & corruptione alienum, in eo loco poneretur, qui corruptionem non patitur. Deinde, gemmarum, & pretiosorum lapidum asseruari solent in aera selecta; liquores quoque odoratissimi, non nisi in pretiosissimis vasis reconduntur. Olim certe extracta in monte Sion ciuitate Davidis, in eam Arca foederis cum ingenti totius populi laetitia ducta est: insuper edificato per Salomonem templo, eadem Arca foederis cum hymnis, & canticis est in templum inuecta. Sic Beatissima Virgo typice in Arca illa adumbrata, cum maximo caelestium spirituum gaudio est in caelo collocata. Praeterea Rex, Reginaque tantummodo in Palatium suum regium ingredi, equo vecti consueverunt; ceteri vero, quamuis Duces, Marchiones, ac Comites, cum ad Palatium perueniunt, intrant non equo delati, sed pedibus tantum, equo ad Palatij portam relicto: Christus, & Deipara, tanquam Rex, & Regina, in caelum intrarunt animo, &

1. Re. 6.  
1. Pa. 16  
3. Re. 8.

corpore: ceteri vero sancti homines animo tantum: corpore, velut equo in morte deposito, & in terra relicto. Item decuit, vt B. Virgo animo, & corpore esset in caelo, vt sicut Christi Domini corpus est in caelo, sic esset & B. Virginis corpus, vt Filius habeat Matrem, vbi ipse est: & sicut Filius Patri vulnera ostendit, ita Mater Filio, suum pectus ostendat, quo illum gestauit, & vbera, quibus illum educauit.

Septimo queritur, Quoto a mortefua die Virgo gloriosa resurrexerit, & fuerit in caelum assumpta: Communis est sententia, suscitatum a mortuis eam fuisse, & in caelum introductam tertio ab obitu die. Ita Damascenus, Iuuenalis Hierosolymitanus Episcopus, Andreas Episcopus Cretensis, Simeon Metaph. Nicephorus, & alij: vt sic constaret vere eam obijisse, & Filio post triduum ex mortuis resurgenti similem fuisse.

Octauo queritur, Quantum gloriae Beatiss. Virgo sit in caelo consecrata? Respondet Hugo lib. 3. eruditioris Theologiae cap. 125. singularem post Christum hoc est, multo maiorem, quam sit gloria Angelorum, & omnium aliorum caeli caeterum, Est enim, vt canit Ecclesia, exaltata super omnes choros Angelorum, & merito: quia Mater Dei est, & Regina caeli. In ea impletum est illud: Assitit Regina à dextera iuis, in visitu deaurato, circumdata varietate. Nam sicut in terris fuit gratia plena, sic in caelo plenissimam gloriam habet, & sicut in terra passa est plusquam ceteri omnes homines, ita in caelo gloriam maiorem, quam illi, adeptam est. Tribuit cuique locum in caelo misericordia: ergo Beatissima Virgo, quae mater est misericordiae, tota caelesti gloria repletur. Recipit quisque sui laboris mercedem, prout laborauit, & meret prout seminauit: Nemo plusquam Dei Genitrix laborauit, aut seminauit, in hac vita. Flumina intrant in mare cumulatora? pleniora, & plus minusue aequatam in suo cursu recipiunt: Quantum putas, gloriae adeptae est Beatissima Virgo, quae cum totum vitae suae cursum peregit, semper in bono gratiae profecit, semper plus charitatis accepit?

## CAP. XXI.

### De alijs Beatissimae Virginis celebritatibus annis, & primum de Conceptione.

Primo queritur, An dies festus Conceptionis B. Virginis dicatur, sit vetus, & antiquus in Ecclesia Romana? Quodam Auctor scripsit, hanc Deiparae celebritatem à Sixto I. V. institutam fuisse. Reuera Sixtus IV. edidit Constitutionem, quae incipit: *in praecelsis*: & habetur inter Extrauagantes communes. Tit. de Reliquijs. & venerat. Sancto vbi decreuit, vt hic dies festus coleteretur. Apud Graecos tamen longe ante hunc celebritas coli coepit, vt patet ex Constitutione Emmanuelis Imperatoris Constantinopolitani, quam habet Theodoras Balsamo in Notatione Photij tit. 7. Extat etiam sermo Leonis Imperatoris Constantinopolitani, de Conceptione Sanctae Mariae. Item S. Bernardi tempore circa annum Domini 1144. celebrari coepit hic dies festus apud Gallos in Ecclesia Lugdunensi; vt patet ex Epistola eiusdem Bernardi ad Canonicos Lugdunenses, 175. in qua subarguit eos, quod absque auctoritate Romanae Ecclesiae nouum diem festum Conceptionis B. Mariae induxerint, praeterea cuiusdam supernae reuelationis: & proficitur ipse Bernardus se de his omnibus Romanae Ecclesiae iudicium expectare. Quae fuerit illa diuinitus facta reuelatio, non explicat: creditur tamen fuisse ea quae circa annum Domini 1070. accidisse fertur. Cum Gulielmus Normannorum Dux in Anglia dominaretur, cuidam Anglo Abbati, Elpino, nomine, maris tempestate iactato, & periclitanti diuinitus quoddam visum apparuit, eum quae admoauit, vt huiusmodi diem festum agendum curaret: & secutum est miraculum in rei attestacionem;

ex quo

ex quo factum est vt hic dies festus primum in Anglia celebrari cœperit. Cui rei multum auctoritatis S. Anselmus addidisse perhibetur: postea eam celebratam Lugdunensis Ecclesia recepit: donec tandem Romana Ecclesia consensus accessit, in qua huiusmodi dies festus cultu anniuersario colitur potius consuetudine, quam necessitate legis, siue præcepti.

Quam controuersiam, & licet Sixtus VI. diremit edita Constitutione, quæ incipit: *Graue nimis, inter Extraneas communes de Reliq. & venerat. Sanctorum*: vbi ex communicatione ipso facto ferit Prædicatores omnes affirmantes, eos, qui credunt, aut tenent Deiparam ab originali peccati macula in sua conceptione præseruatam, propterea hæresis labe pollutos fore, & mortaliter peccare, aut conceptionis Officium celebrantes, sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, audientes, peccati reatum incurtere. Prædictas assertiones vt pote falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editi offi. desuper libros id continentes quoad hoc auctoritate Apostolica tenore præsentium reprobamus, & damnamus, & statimus, vt Prædicatores verbi Divini, & quicumque alij cuiuscumq; status, gradus, aut ordinis, ac conditionis fuerint qui de cetero, ausu temerario præsumserint in suis sermonibus ad populum, aut alias quomodolibet affirmare huiusmodi sic per nos improbatas, & damnatas assertiones, veras esse, aut dictos libros pro veris logere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant: à qua ab alio, quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu proprio, scientia, & auctoritate Apostolica simili pœna ac censura subijcimus eos, qui ausu fuerint assertere, contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimine, vel peccatum incurere mortales; cum hoc nondum sit à Romana, & Apostolica Sede decisum. Sic ibi.

Synodus Tridentina Sess. 5. in Decreto de Peccato originali statuit, vt obseruentur Constitutiones editæ à Sixto Quarto de Conceptione Beatæ Virginis, & eas innouat sub pœnis in eis contentis.

Secundo quaeritur, An aliquid aliud à Romanis Pontificibus sit constitutum de B. Virginis Conceptione? Pius Quintus aliam edidit Constitutionem huius principij: *Super specula*: vbi confirmat constitutiones Sixti Quarti, quas Synodus Tridentina probauit: & præcipit, vt nemo cuiuscumq; ordinis, gradus, conditionis, & dignitatis existat, in popularibus concionibus, vel vbiicumque promiscue virorum, ac mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersia alterutra parte disputare, vel Doctorum auctoritate, assertendo propriam sententiam, & contrariam repellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa questione cuiuscumq; pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dicere præsumat. Qui contra fecerit, suspensionis pœnam absque noua declaratione ipso facto incurrat, si modo fuerit in sacris constitutus, & quocumque præterea gradu, siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, & ad ea, vel similia munera obtinenda, vel obtinenda, vinculo perpetua inhabilitate ipso facto sit obnoxius: super quibus, nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, dispensari siue absolui non possit. Ceterum quamdiu per Apostolicam sedem altera pars definita non fuerit, licet viri docti in publicis Academicis disputationibus, siue Generalium, siue Provincialium Capitulorum, vel vbi alias interfuerint, qui rem capere possunt, nec scandali vlla subest occasio, de illa questione differere, & argumentis contra vtramlibet partem, vel assertere, vel impugnerent: tamen tamen neutra veluti erronea prædicetur, seruenturque illa omnia, quæ à Sixto prædecessore nostro statuta sunt: quorum singula vt referretur, etiam quantum ad alias pœnas, ducimus innouanda, & innouamus per præsentem Hæc ibi.

Tertio quaeritur, quo pacto cum his constitutionibus Pontificijs consistere queat, quod est definitum in Concilio Basiliensi Sess. 36. Aduertendum est tibi in hunc modum esse constitutum: Nos diligenter inspectis auctoritatibus, & ra-

tionibus, in sancta Synodo doctrinam illam asserentem gloriosam Dei Genitricem Mariam, præueniente, & operante diuini nominis gratia singulari nunquam actualiter iacuisse sub originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni culpa originali, vel actuali: sanctamque & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholica, certæ rationi, & sacra Scriptura, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam, desinimus, & declaramus, nullique de cetero licitum esse in contrarium prædicare, & docere. Sic ibi.

## CAP. XXII.

### De die festo Presentationis B. Virginis.

PRIMO quaeritur, Quam antiqua sit huius diei festi institutio: Apud Græcos antiqua est, vt constat ex Menologio die secunda Nouembris, & ex constitutione Emmanuelis Constantinopolitani Imperatoris de Ferijs, quam habet Theodo. Balsamo in *Nomocanone Photii* tit. 7. cap. 29. & extant sermones S. Gregorij Nysseni. S. Germani Episcopi Constantinopolitani, & Gregorij Episcopi Nicomedienfis apud Surium die 1. Nouemb. Certe apud Græcos Ecclesiastica traditio est, Beatissima Virginem tertio sue ætatis anno in templo à parentibus esse Deo oblatam, & ibi vsq; ad decimum quartum annum vixisse: fuisse que motem, vt aliqua videtur, qualis fuit Anna prophetissa, de qua Luca secundo, & puellæ virgines in templo Dei offerrentur, vt ibi in ieiunijs, orationibus, Psalmis, Canticis, & alijs pijs operibus vitam agerent: ac puellæ virgines, si vellent, deinde nubere. Beatissima igitur Maria virgo vitam egit in templo, donec decimo quarto ætatis anno, diuino consilio tradita est in matrimonium Iosepho, Euodius secūsus à Petro Episcopus Antiochenus, apud Nicephorum testatur, Virginem Mariam, cum trium annorum esset, à parentibus in templo præsentatam Deo fuisse. Ex Euodio ceteri Græcorum hanc traditionem acceperunt. Apud Latinos in Gallicanis Ecclesijs cœpit colli hic dies festus tempore Caroli Quinti Francorum regis anno salutis 1475. de qua re extare dicitur eiusdem Regis Epistola ad Nicolaum Episcopum Alstisiodorensis, quam citat Gallestinus in *Annotationibus ad Martyrologium Vsuarum* die 21. Nouemb. Sixtus V. constituit, vt clerici Officium duplex die 21. Nouembris facerent, & Gregorius XIII. ante concesserat Hispaniarum Ecclesijs, vt eam diu Officio duplici celebrarent. In quibusdam alijs Ecclesijs Præsentatio B. Virginis Ecclesiastico officio recolitur auctoritate Sixti I V.

Secundo quaeritur, Vndenam habeatur B. Virginem Mariam fuisse à parentibus Deo in templo oblatam? Deum, vndenam Scripturarum colligatur, viduus & puellas Virgines in templo die, ac nocte commorari consueuisse in locis ad id separatis, & clausis? Profecto sicut multa alia, de Beatiff. Virgine Ecclesiastica traditio habet, vt de Dormitione eius: de Assumptione in cælum, de Natiuitate, sic etiam traditio Ecclesiastica habetur fuisse eam tertio ætatis anno in templo à parentibus præsentatam, ibique ad decimum vsque quartum annum traduxisse vitam in oratione, & diuinis Laudibus, & operibus manuum suarum: donec anno decimoquarto Iosepho nupsit. Et satis est ad hanc traditionem confirmandam, Euodij Antiocheni auctoritas, à quo ceteri Græci acceperunt. Quod autem vidue in templo perpetuo Domino assisterent, vnum exemplum est in Anna prophetissa, quæ vt testatur Lucas cap. 2. à templo non discedebat, ieiunijs, & obsecrationibus seruens nocte, & die.

Hæc B. Virginis celebritas non colitur, & seruatur, vt dies festus necessitate præcepti.

## CAP. XXIII.

## De die festo Visitationis B. Mariæ Virginis.

**P**rimo queritur, Quando & à quo fuerit instituta anniuersaria celebratio Visitationis B. Virginis? Dicitur instituta ab Urbano VI. & confirmata à Bonifacio IX. occasione Schismatis, quod tunc maxime Ecclesiam vexabat; vt de Dei Genitricis ope inuocata, tantum malum Deus ab Ecclesia auerteret. Extat Decretum in concilio Basiliensi sess. 43. cuius verba sunt huiusmodi: *Decreuit Synodus ad honorem Dei Genitricis, vt post explet a resurrectione Domini, Pentecostes, Gloriosa Trinitatis, Corporis Christi, Beatorum Ioannis Baptistæ, & Apostolorum Petri, & Pauli, solemnitas, in quibus Ecclesia post solemnitates Annuntiationis Domini, quam præfata Visitatio, temporis ordine confestim sequatur, est occupata, per singulas Christianorum Ecclesias quolibet anno sexto Non. Iulij festum Visitationis gloriosa Virginis celebraretur.* Hæc ibi. Porro colit Ecclesia hanc celebritatem officio duplici, sed iure communi non præcipit populo eam seruare.

Secundo queritur, Cur Ecclesia secundo die Iulij celebrat Visitationem B. Virginis, cum ex Euangelio constet eam statim securam fuisse post annuntiationem? Respondeo, Ecclesiam celebrare diem festum B. Virginis secunda die Iulij, post octauam S. Ioannis Baptistæ, quia quo die B. Maria Sanctam Elisabetham visitauerit, ex Sacris litteris non constat: at ex ijs liquido constat, quasi tribus mensibus, apud illam mansisse, ex quo die ad illam visitandam accessit. Vnde ex Euangelio magis nobis notum est tempus, quo Visitatio finem habuit, quam tempus quo visitatio facta est. Nam si B. Elisabetha visitata, quasi tribus mensibus in domo Zachariæ mansit, consequens est, vt manserit vsq; ad diem, quo natus est Ioannes Baptistæ, paulo ante, aut paulo post. Ecclesia igitur certior de tempore, quo finita est Visitatio, quam de tempore quo cœpta est, celebrat diem festum Visitationis post Natalem S. Ioannis Baptistæ, quia tunc, vel paulo ante Visitatio finem habuit, & B. Virgo domum suam redijt.

Tertio queritur, Quando B. Virgo iter suscepit ad visitandam Elisabetham? S. Bonaventura ait, statim diluculo illius diei, sine noctis, quo concepit Filium Dei profectam fuisse, quia Euangelista dixit: *In diebus illis exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione. In diebus illis, inquit, quasi dicat, paulo post tempore.* Probabile est, B. Virginem iter suscepisse die 26. aut 27. Martij. Illis porro verbis: *(cum festinatione)* insinuat Euangelista, diuinitus B. Virginem iam concepissem: siquidem nihil impediuit conceptus in eius utero fetus, quo minus iter longum, & asperum virgo festina suscipere. Abijt cum festinatione, quia Dei Spiritus eam urgebat, stimulabat charitas feruens erga cognatam, ardens desiderium inseguendi Elisabethæ: in ætate prouecta prægnanti, item modestia, & pudicitia virginalis eam impellebat, vt publica loca, & hominum aspectus præteruolans, in domum suæ cognatæ sese abderet.

Quarto queritur, Qua de causa ierit ad visitandam Elisabetham virgo benedicta? Nullo modo videtur probandum, quod Theophylactus, & quidam alij aiunt, tam subitam profectionem B. Virginem suscepisse explorandæ, experiendæ, probandæq; huiusmodi causa: nam credidit omnino Angelo, & illi dixit Elisabetha: *Beata quæ credidisti.* Placet quod S. Ambrosius dixit: *Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuncio, nec quasi dubia de exemplo: sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit.* Dicitur est *(in montana)* hoc est, in montanam regionem Iudææ, in qua erant ciuitates & oppida.

Quinto queritur, Quamnam fuerit ciuitas Iudææ, ad quam B. Virgo perrexit? Lucas solum dixit: *Abijt cum festinatione in montana in ciuitatem Iudææ, id est, in vnam ex ciui-*

tatibus, quæ ad tribum Iudææ pertinebant. Quidam recentiores dixerunt eam ciuitatem Hierosolymam fuisse, quæ per Antonomasiam dicta est ciuitas, quæq; erat in montibus sita; in qua etiam commorabantur sacerdotes tempore vicis suæ. Probabilius puto, quod alij tradiderunt, fuisse urbem Hebron, quæ, vt constat *Iosue 21.* erat in montibus Iudææ, & data sacerdotibus ad habitandum, & pertinebat ad tribum Iudææ.

Sexto queritur, Quantum fuerit illud iter, quod B. Virgo suscepit? Respondeo, iter à Nazareth vsq; ad montana Iudææ, fuisse iter trium dierum: distabat enim montana Iudææ, vt tradunt eorum locorum periti, à Nazareth, triginta leucas, vel vt minimum, 27.

Septimo queritur, An B. Virgo sola ierit ad visitandam Elisabetham? Euangelista nihil expressit, & ideo quidam existimabant solam perrexisse. Sunt qui dicant, eam habuisse comitem viæ ipsum Iosephum sponsum suum, quoniam non videtur verisimile, sine eo tantum iter suscepisse, erat enim ei custos, & adiutor in omnibus, habitabatq; simul. Alijs videtur improbabile, Iosephum fuisse comitem viæ, quia alioqui cognouisset Incarnationis mysterium, cum audisset Elisabetham dicentem Virgini: *Vnde hoc mihi, vt ueniat mater Domini mei ad me?* audissetq; B. Virginem laudantem Deum, his verbis: *Magnificat anima mea Dominum; probabilius videtur, in tanto itinere & comitem sociamq; aliquam feminam habuisse: magis enim decere videbatur prudentiam, & pudicitiam virginalem Mariæ, vt cum comite aliqua iter susciperet. Quare si comes viæ non fuit S. Iosephus sponsum eius, vt fortassis fuit; consequens est, vt aliqua femina fuerit, quæ sibi nota, & familiaris erat.*

Octauo queritur, An B. Virgo manserit apud Elisabetham vsque ad diem, quo natus est Ioannes Baptistæ? Est sententia asserentium, eam mansisse vsque ad ortum Ioannis: quod quidem est valde probabile, quia in partu, Elisabetha magis indigebat opera, & charitate officiosa Virginis, quam antea: ergo verisimilius est, tantam Virginem Dei matrem, astitisse Elisabethæ cognatæ suæ parienti, quæ astiterat prægnanti, alioqui enim discessisset B. Virgo, quo tempore magis necessaria futura erat eius opera.

Alij vero sentiunt, paulo ante quam nasceretur Ioannes Baptistæ, Virginem in domum suam redijisse. Meo iudicio, probabilius est, affuisse B. Virginem in ortu Ioannis Baptistæ. Vnde quidam existimant, eum recens natum non solum suis oculis vidisse, sed etiam brachijs excepisse, vt quæ diuinitus intelligebat illum futurum tantum prophetam, quantum postea extitit, & dignum sui Filij Præcursores. Probabile itidem est, expectasse vsque ad octauum diem, quo circumcisus est Ioannes, & postmodum ad domum suam redijisse. Præterea, vt supra dixi, Ecclesia celebrat Visitationis diem secunda die Iulij, quia ea die Deipara ex domo Zachariæ discessisse videtur.

Nec obstant ea quæ primæ sententiæ Auctores obijciunt, Lucas dixisse: *Mansit apud eam, Elisabetham, quasi mensibus tribus;* quia illud aduerbium, *quasi*, non minuit, sed rei veritatem significat: imo significat numerum non solum paulo minorem, sed etiam paulo maiorem, sicut cum dicimus: *Præsentem fuerunt quasi quater mille homines,* non solum significamus affuisse quater mille homines, aut paulo pauciores, sed etiam quater mille, aut paulo plures. Ita prorsus B. Virgo mansit apud Elisabetham tribus mensibus, aut paulo pluribus, paucioribusque diebus.

Nec item obstat, quod ait idem Euangelista Lucas illis verbis adiunctis: *Elisabeth impletum est, tempus partendi;* quasi insinuet partum Elisabethæ subsecutum fuisse, postquam B. Virgo discesserat. Neque enim Euangelista semper seruat ordinem rei gestæ: Lucas narrauit prius totum id, quod ad visitationem pertinebat, vt eam consequenti, & continuato sermone completeret, postea vero redijt ad partum Elisabethæ. Quod autem aiunt Auctores pri-

mae sententia, apud Hebræos mortem fuisse, ne puella, siue virgines feminis parentibus adessent; Respondeo, hoc nihil obstare: nam B. Virgo ad breue tempus secessit in locum secretiorem, interim dum Elisabetha pariebat: vt cum peperisset, statim postea, obsequij gratia, ad eam accurreret. At, non decuisse, inquit, virginalem pudicitiam, vt tunc adesset Virgo pudicissima, cum frequentes cognati, vicini, & amici ad parturientes feminas accedunt. Respondeo, nec hoc decuisse B. Virginem: nam credibile est eam, dum aderat ab hominum frequentia recessisse, & abdidisse se in locum domus secretiorem.

Celebrat præterea Ecclesia Romana, diem festum B. Virginis ad N. ues, qui dies festus consuetudine recepta Romæ seruatur, non necessitate legis, sicut cæteri, quos dixi. Liberius Papa Basilicæ insignem in honorem B. Mariæ Virginis dedicauit in Monte Esquilino iuxta Aggeres Tarquinij ad macellum Liuiæ impensis Ioannis Patritij. In eisdem Basilicæ erectione, ea de re fuit vterq; per visum admonitus, & miraculo confirmatus; descendenti- bus niuibus in Nonis Augusti, formam Templi monstrâ- tibus. A Liberio fundatore Basilicæ diu vocata est Libe- riana: postea à Sixto III. Pontifice restituta, & amplior facta fuit circa annum Domini 132. Dicta deinde est S. Mariæ ad Præseppe, ob translata in eam ex Bethlechem fa- cta Christi incunabula. Postremo appellata est S. Mariæ Maior: quia cum multa templa in honorem B. Mariæ es- sent iam in Vrbe dedicata, vt præstantia, & antiquitas eius Basilicæ significaretur; cœpta est dici S. Mariæ Maior. Præterea in Hispanijs speciatim colitur dies festus Ex- pectationis partus B. Virginis. Cuius rei causa hæc est, quia cum Annunciatio B. Virginis in Hebdomadam fan- dam frequenter incidat, eo tempore solemnibus ritu pro- pter passionem, & mortem Christi Domini coli, & cele- brari non poterat. Ideo olim in Concilio Toletano X. Prælati præfides Hispaniarum, in Aduentum Domini, nimirum ad 15. Kal. Ianuarij transfulerunt celebritatem Annunciationis. Et quia translatio incidit in eam diem, in qua Ecclesia Romana incipit decantare ad vespertinas preces eas Antiphonas, quæ maiores, & solemniores dicuntur, quæque inchoantur à litera O. ideo in Hispania vocatur Annunciatio B. Virginis, de la O. Rursus, quia cuiusmodi Antiphonæ reuocant in memoriam suspiria, ge- nitus, & desideria antiquorum Patrum, qui olim Chri- sti Aduentum expectabant, appellatur etiam in Hispania, Expectatio partus B. Virginis, eo enim tem- pore Beatissima Virgo partui vicina, expectabat ortum Filij Dei, quem suo in vtero iam concepserat. In Eccle- sia Ambrosiana colitur Annunciatio in die Dominica, quæ Natalem Domini proxime antecedit: vt testatur Galefianus in Annotationibus ad Martyrologium Roma- num: eadem ratione, nimirum quia sepe incidit in heb- domadam Sanctam, in qua ob passionem, & mortem Do- mini solemnibus ritu, & cæremonia coli non potest: ac pro- inde transfertur in prædictam diem Dominicam.

## CAP. XXIV.

### De diebus festis duodecim Apo- stolorum.

IVRE communi dies festi duodecim Apostolorum co-  
luntur, & obseruantur, vt patet ex cap. Pronunciandum de  
consecrat. distinct. 111. Et cap. Conquestus de Ferijs, & creditur  
horum dierum festorum institutio esse perantiqua, vt  
constat ex Martyrologijs omnibus Latinorum, & Græ-  
corum: quando vero agi, & coli ceperint, certo non con-  
stat. Verisimile est, eos dies celebrari cœpisse statim at-  
que Apostoli discipuli eorum successerunt. Clemens Ro-  
man. lib. 2. Constit. Apostolica. cap. 43. meminit dierum,  
qui sunt Apostolis sacri. Porro quæ supra attulimus Iu-  
ris Decreta, vim & locum habent in diebus festis præ-  
cipuis duodecim Apostolorum, in quibus pro Christo

occis, martyrij palmam consecuti, ad regna cœlestia con-  
uolarunt. Sunt enim alij dies ipsi à postolis sacri, sed non  
præcipui, nec tanquam dies feriati ab vniuerso Christia-  
no populo seruantur. Cuiusmodi sunt dies Cathedræ, &  
vincula S. Petri, & sancti Ioannis Euangelistæ ante por-  
tam Latinam.

Sanctus Petrus Apostolus mortuus est 3. Kal. Iulij, hoc  
est, die 29. Iunij, sed in summo Pontificatu vniuersum  
post Christi necem annos 36. menses duos, specia- im ve-  
ro in Pontificatu Romano annos 24. completos 25. in-  
choatos, menses tres, dies duodecim: à tertio anno in-  
choato Claudij Imperatoris vsque ad 13. annum Neronis  
Imperatoris. Supplicij locus fuit Romæ summitas Ianicu-  
li, seu Vaticanus montis, imminens Naumachia Neronis  
inferius iuxta Tyberim sita: Ianiculus, qui nunc mons  
Aureus dicitur, & Vaticanus apud antiquos Auctores,  
eiusdem montis appellationem habebant. Clemens Pe-  
tri discipulus in ima Vaticanæ parte, in qua Neronis hor-  
ticant, & circus cum Obelisco iuxta Apollinis Tem-  
plum sepeliuit, vbi nunc est Basilica S. Petri à Constanti-  
no Magno Imperatore exadificata; & in summitate Ian-  
niculi, vbi martyrium est passus, est magnificum Tem-  
plum extructum nomine & titulo S. Petri montis Aurei  
insignitum. Porro cum Nero incepisset Christianos perse-  
qui, Sanctus Petrus, vrgentibus fidelibus, vt fuga se illis  
diutius seruaret, precibus eorum flexus, nocte muro egre-  
di cœpit, & videns in porta Capena Christum sibi occur-  
rentem, & Urbem ingredientem, ait illi: Domine quo va-  
dis? Respondit: Romam venio iterum crucifigi, intellexit Pe-  
trus ad suam crucem pertinere diuinum responsum, &  
quod iterum Christus crucifigendus esset in seruo. Et ita  
in Urbem redijt sponte. Egesippus lib. 3. de excidio Hierosa-  
lymo. c. 2. Ambrosius in Auxentium de Non traden. basilic. Gre-  
gor. in Psalmum tertium Psalmitialem.

Sanctus Petrus post Ascensum Domini in cœlum, se-  
quenti, vt creditur, die Dominica, die Maij 17. tanquam  
Pontifex, munus iniunctum obire cœpit. Nam de substitui-  
tuendo nōuo Apostolo in locum Iudæ proditoris, orationem  
ad vniuersam collectam Ecclesiam habuit, &  
Matthias Apostolus sorte electus est.

Die Dominica 24. Maij, & vt creditur 30. à Resurre-  
ctione Dominica, Petrus oratione ad populum habita,  
tria millia hominum ad Christum conuertit.

Claudum multos iam annos ab vtero matris ad Por-  
tam templi Speciosam medicantem sanauit, ita vt exsili-  
ret, & ambulans laudaret Deum: & oratione habita ad  
Populum auctus est numerus credentium ad quinque  
millia hominum.

Sacerdotes, Magistratus templi, & Sadducæi curarunt,  
vt Petrus, & Ioannes in carcerem mitterentur: & mox di-  
mittunt eos, denunciante illis, ne omnino docerent in  
nomine Iesu.

Credentes, omnia in commune conferunt, in quibus  
nominatum fuit Barnabas, Leuites Cyprius.

Ananiam, & Sapphiram coniuges pretium agri venditi  
ementicos, partem sibi fraudulenter reseruantes, & id ma-  
litiöse Petrum latere posse putantes, Petrus reprehendit,  
& mors in vltionem vtriusque diuinitus insignenda à Pe-  
tro prædicatur, & continuo secuta est.

Conciones Petri frequentes, & miracula ab eo facta,  
vt signa & prodigia per omnes Apostolos edita, ita ani-  
mos audientium, & videntium commouebant, vt magna  
fueret credentium virorum, ac mulierum in Ecclesia ac-  
cessio.

Apostoli in carcerem conijciuntur, sed diuinitus per  
Angelum liberati, rursus ad populum concionantur: edu-  
cti in Concilium respondent: Obediare oportet Deo magis,  
quam hominibus. Gamalielis suffragio à cæde liberantur,  
sed flagris cæsi.

Petrus, & cæteri Apostoli Diaconos elegerunt in mini-  
sterium sanctarum viduarum. Hæc omnia contigerunt  
codem anno, quo mortuus est Christus.

Añ. 1.

Añ. 1.

Añ. 3.

Añ. 4.

Añ. 4.

Añ. 5.

Añ. 5.

Añ. 5.

Añ. 7.

Sanctus Petrus itidem eodem anno, diuino instinctu, & consilio totius Apostolici collegij dux, Iacobum Minorem cognomento Iustum, & fratrem Domini vocatum, & Obliam, id est, murum Nazareum, hoc est, sanctum, Alphai, & Mariae Cleophae filium, Iudae Thaddaei fratrem, B. Mariae Virginis ex sorore nepotem, Hierosolymorum Episcopum creandum curauit. Fuisse hunc consecratum à Petro, Iacobo Maiore, & Ioanne, Anacleto Pontifice in *Epistola ad Episcopos Italiae*, & Clemens Alexand. lib. 6. & 7. *Hypotyposion* testantur: in quo formam tradiderunt, ut non minus quam à tribus Episcopis electus Antistes consecraretur, cap. Porro. *Assimil.* 67. Contigit haec Iacobi consecratio nonem fere mensibus post Christum ortum elapsis, die 27. Decembris, ut tradidit Beda in *Martyrologio*.

Petrus quinque annis post necem Domini Hierosolymis commoratus est, quamdiu Tiberius Augustus superstes fuit. Quinquennio elapso, anno trigesimo octavo salutis humanae, & primo Caes. Caligulae Imperatoris Antiochiam Syriae Metropolim venit, ubi Christianae fidei mysteria docuit. Primus quoque Antiochenam fundauit, & rexit per seipsum Ecclesiam: Cathedram eius Episcopatus adeptus 8. Kalend. Martij, hoc est, dies 22. Februarij, ut habet Ecclesiastica traditio, quamuis nullam huius rei mentionem fecerit Lucas; habemus tamen aliunde, videlicet ex Clemente, libro 6. *Stromatium*, Eusebio in *Chronico*, Hieron. cap. 2. *ad Galatas*, quicam rem ex antiquis eius Ecclesiae monumentis collegerunt: & ei Ecclesiae septem annis, quamuis non integris, & completis, praesuisse testantur, & postea successit Euodius, & tertius Ignatius.

Interim tamen saepe se Hierosolymam retulit, annunciando Euangelium, & confirmando ac visitando Ecclesias ab Apostolis, ac alijs discipulis constitutas, eo itaque tempore Aenacum octo iam annis paralyticum in grabato iacentem sanauit: Et videntes id omnes qui habitant Lydda, & Saronae, Christi fidem receperunt.

In Ioppe ciuitate proxima, Thabitam mortuam, sanctarum mulierum precibus suscitauit. Vbi apud Simeonem quendam coriarium multis diebus habitauit: & per visum diuinitus ostensum, hoc est, linteam expansum per quatuor capita, ubi erant multa animalia immunda, ex quibus edere iubebatur, intellexit, Euangelium etiam Gentibus annunciandum.

Porro anno Christi Domini quadagesimo, & Caes. Imperatoris tertio Cornelium Centurionem Caesareae baptizauit una cum alijs multis: & ibi primum ex Gentibus Ecclesiam Caesariensem constituit. Mox ex Antiochia uenit, & Caesarea Hierosolymam redijt. Vbi obijcientibus sibi fratribus qui è Circumcisione erant, quod ad Gentes fuisset ingressus: reddidit rationem diuinæ reuelationis sibi factae: quam admirati fratres ratam, & gratam habuerunt.

Post annunciatum à Petro Antiochia Euangelium, & Ecclesiam ibi ex solis Iudeis collectam, discipuli quidam Cyprij, & Cyrenaei, ibidem multos ex Gentibus ad Christi fidem conuerterunt, cuius rei nuncio ab Ecclesia Hierosolymitana accepto, Barnabas est missus: quaesito, & adducto ex Tharsolo Paulo, integro anno ibi commorati sunt, & magna accessio facta est Ecclesiae ex Gentibus conuocatae, ut credentes, non discipuli, ut antea, sed Christiani appellari ceperint: contigit hoc, anno Christi quadagesimo primo, & Caes. Imperatoris quarto inchoato.

Anno Christi quadagesimo tertio, & secundo Claudij Imperatoris exacto, tertio vero per sex dies inchoato, sanctus Petrus ab Herode Agrippa in carcerem, & in vincula missus: sed noctu per Angelum liberatus, versus Romam iter direxit: & ita relicto Oriente Romam venit decimoquinto Kalendas Februarij, hoc est decima octaua die Ianuarij. In hac peregrinatione Petrus ab Hierosolymis Caesarem Stratonis primum ueniens, ibi

Zaccheam Episcopum constituit: inde Sidonem peruenit. Vbi cum multos curasset, & Episcopum eis dedisset, abiit Berytum: in qua etiam Episcopum delegit: inde uenit Byblum: deinde Tripolim Phoeniciae, & apud Marsonem uirum mansit. è Tripoli Orthosiam profectus: inde Antandrum, mox in insulam, quae dicitur Arados, tandem in Balneas, & inde Lanta, inde Laodicam: ubi multos à morbis sanauit, & Ecclesiam congregauit, ibi Episcopo constituto. Postea uenit Antiochiam Syriae, ubi Missarum solemniam celebrauit, & Euadium Episcopum creauit. Inde Synadem Phrygiae ciuitatem, mox Nicomediam, in qua Prochorum Episcopum constituit: tum Ilium uenit ciuitatem Helleponti, ubi Cornelium Centurionem Episcopum ordinauit. Tunc diuina uisione monitus Occidentem uersus iter dirigere iubetur. Ita uenit Tharsum: ubi Urbanum Episcopum delegit. Andriam Lyciae Epaphroditum, Ephesi Phrygellum Appellem, qui fuit frater Polycarpi. Demum in Macedoniae peruenit: Philippis Olympum Episcopum creauit, & Thessalonicae Iasonem, & Corinthe Syllanum. Inde migravit in Siciliam: uenit Tauromenium: ubi apud Panocratum habitauit, & Marianum Episcopum instituit. E Sicilia Neapolim appulit: ubi Missae sacrificium seorsim libenter, & Asprenem Episcopum constituit: inde naui delatus Labronam, id est, Liburnum: & inde Pisas uenit, ubi etiam Missae sacrificium obtulisse traditur, ut habent Traditiones uerissimae: tandem Romam peruenit, in Vibe Euangelium annunciare cepit: & Cathedra in qua eius Christi Euangelium edocuit, integra adhuc in eius Basilica asseruatur. Tunc Petrum Pudens Senator Urbis, qui fuit pater sanctarum Virginum, Pudencianae, & Praxedis, in suis aedibus excepit, quae sita erant in colle Viminali, ubi Templum postea aedificatum est, quod titulo Pastoris primo dictum est, deinde nomine Sanctae Pudencianae: in quo sacellum extat, ubi S. Petrus saepe inuentum Missae sacrificium fecit, & obtulit Deo omnipotenti.

Anno Christi quadagesimo sexto, & quinto Claudij Imperatoris inuente, Petrus ex Vibe profectus Hierosolymam reuersus est. In Vibe relicti Vicarij, qui se absente gregem Dominicum conseruarent, reuerent, atque gubernarent: Hierosolymis quoque anno Christi quadagesimo octauo, & Claudij Imperatoris septimo celebratum est Concilium ab Apostolis: in quo Circumcisio abrogata est: eius sanguinis, & suffocari prohibitus, & scortatio speciatim interdicta. Interfuerunt in eo Concilio, praeter alios Petrus, Ioannes, Iacobus cognomento minor, Paulus, & Barnabas. Petrus reliquo toto tempore Claudij Imperatoris, ab Urbe absuit: nec enim ei licuit suam sedem Romanam repetere, uentante Claudij edicto, qui Iudaeos omnes Roma expulerat.

Anno igitur Christi quinquagesimo sexto, & primo Neronis Imperatoris in Vibem redijt, ac interim in diuersas Prouincias annunciandi Euangelij causa, multos è discipulis destinauit in Siciliam Panocratum, Marianum, Beryllum, & Philippum: in Capuam Priscum, Neapolim Asprenatem, Tarracinam, Epaphroditum, Equicolas Marcum, sed alium ab Euangelista, Nepem, Prolemaeum: Fessulam, Romulum: Lucam, Paulinum, Rauenam Apollinarem: Veronam Euproprium, Patauium, Prodocimum, Ticinum, Syram, Aquileiam, post Marcum Euangelistam, Hermagoram: ad Gallos Lemouicenses, Tolofares, & Burdegaleses, Martialem: ad Tungenses, Maternum, & Valerium: ad Thermenenses, Sixtum: ad Arelatenenses, Trophinum: ad Senonenses, Sabinianum: ad Cenomaneenses, Iulianum: Viennam, & Moguntiam Crescentem: Catalacinum Menomium, ad Bituricenses, Vesinium: ad Aruernenses Austronium: ad Xantonenses, Eutropium, in Germaniam, Eucharium, Aegyptum, & Martianum: in Hispaniam, Torquatum, Cestiphontem, Secundum, Indalium, Caxilium, Helychium, Euphrasium, & alios.

Iacobus maior Zebedæi Filius, Ioannis Euangelistæ frater, postquam Euangelium Christi, in Hispania annuntiavit: (vt communi consensu omnes Hispaniarum Ecclesie testantur: à qua sententia non est quod recedamus: habent enim singule nationes traditiones à Iuis Maioribus acceptas: quas si negauerimus, multa incommoda sequuntur.) Hierosolymam regressus, ab Herode Agrippa in carcerem missus anno Christi quadagesimo tertio, & Claudij Imperatoris secundo primus Apostolorum martyrij palmam obtinuit, cuius corpus scaphæ impositum, Mediterraneo, & Oceani marie mensis in Galatiam appulit: & Iriæ Flauix in saxo repositum deinde ex Iria Flauia Compostellam translatum est: vt constat ex licentis Callisti Secundi. Ecclesia vero diem eius festum celebrat vigesima quinta Iulij: non quia tunc mortuus sit; nam extinctus est circa Paschale tempus: sed quia eo die corpus eius in Galatiam appulit & Iriæ Flauix in saxo repositum creditur. ob hanc Agrippæ persecutionem Apostoli in diuersas Prouincias dispersi, Christi Euangelium promulgauerunt, & antequam a se inuicem diuicerentur, Fidei symbolum condiderunt.

Ioannes Apostolus, & Euangelista, Filius Zebedæi, & Frater Iacobi cognomento Maioris, anno Domini 101. & Traiani Imperatoris secundo mortuus, & sepultus est. Sic Hieronymus, & Eusebius in Chron. ex Irenæo, & Poly. capto apud Ephesum: Tertul. libro de Anima capite quinquagesimo obijt, inquit, & Ioannes quem in Aduentu Domini remansum fuerat Ihes. Beda mortuum esse ait, anno ætatis suæ nonagesimo octauo, secundum alios anno nonagesimo quarto, vel nonagesimo tertio: quia vocatus à Christo est, teste Hieronymo, iuuenis: unde forsitan, inquit, tunc agebat annum ætatis vigesimum secundum, & obijt anno sexagesimo octauo post necem Domini. Alij putant vixisse annos nonaginta, vel nonaginta & vnum, eo quod secundum illos, vocatus fuerit à Domino, cum ageret annum vigesimum, vel vigesimum primum. Ego vero magis Bedæ auctoritati, cum obijt anno ætatis suæ nonagesimo octauo, quare vocatum à Domino crediderim, cum ageret annum vigesimum sextum, vel vigesimum septimum, in qua etiam ætate homines appellare consueuimus iuuenes. Sepulchri eius in Epheso meminit Eusebius lib. 3. cap. 33. Hieronym. de scripto. Eccl. sup. in Ioanne, Chryso. Romus homil. 20. in Epistola ad Hebræos, & homilia in Laudem duodecim Apostolorum, Celestinus Papa in litoris ad Concilij Ephesinum. Quare singularis est opinio quorundam iuniorum, eum viuum translatum esse ad terrestrem Paradisum, vt ipse, & Henocho, & Elias tempore Antichristi venturi, sint tres testes Euangelicæ doctrinæ: vnus ex Lege Naturæ: alter ex Lege scripta, tertius ex Lege Gratiæ.

Ioannes post Hierosolymam captam, & dirutam à Tito, & Vespasiano Imperatoribus Romanis, anno 38. à morte Christi Domini ab Hierosolymis in Asiam se contulit: & Ephesi commoratus rexit Asiæ Ecclesias, quas Petrus, & Paulus fundauerant. Et anno Christi 91. qui fuit nonus Domitiani Imperatoris, ex Asia Romanam, impietatis nomine reus adductus, in dolium sferuentis olei apud Portam Latinam coniectus, & nihil læsus, in Patmos insulam relegatus est. Tertul. de Prescript. ca. 36. Hieronym. lib. 1. Aduersus Iovinianum, & in Mathæi, cap. 21. est Romæ traditio, & monumentum celebre eius supplicij apud Portam Latinam, atque pridie Nonas Maij auerfaria eius diei memoria celebratur.

Quo mense, & quo die mensis obierit, non est vsque quaque certum, & exploratum. Duran in Rationali Diuino officiorum lib. 7. cap. 42. & Ioan. Belet. de offic. Diuino. cap. 30. opinantur eum obijt in die 24. Iunij, quo die celebrat Ecclesia Natalem Ioannis Baptistæ in diem 27. Decemb. Sed quare potius in eum diem transfuit? Respondent, quia fortassis eo die S. Ioanni Euangelistæ dedicata est Basilica Ephesi: vel quia eo die cœpit Ephesinam Ecclesiam regere, fuit Patriarcha Ephesinus. Certe cum Ecclesia Ioannem Euangelistam perpetua memoria cele-

bre, & colat die 27. Decembris, videtur id facere: quia eo die è viuis excessit.

Iacobus Minor cognomento Iustus: & frater Domini, Hierosolymorum Episcopus, trigesimo sui Pontificatus anno, & ætatis suæ sexagesimo tertio è p̄tina templi precipitatus, fullonis fuste percussus in capite, migravit in cœlum marij effectus septimo anno Neronis Imperatoris, & Christi Domini sexagesimo tertio, cui successit Simcon, qui præfuit illi Ecclesie annis quadraginta septem, vsque ad annum Christi 110.

Paulus Apostolus Christi, sed extra numerum duodecim Apostolorum. Tarsensis, conuersus est ad Christum octauo Kalendis Februarij, hoc est, die 25. Ianuarij: electus post mortem Christi vno anno, & mensib. nouem, & diebus octo: vnde Martyrologium Romanum habet: die 25. Ianuarij Conuersio sancti Pauli Apostoli: quæ fuit secundo ab Ascensione Domini anno: & non septimo anno post Ascensionem Dominicam, vt G. ycas libro tertio Annual. & Nicepho lib. 2. cap. 3. ex Hippolyto Thebano, & Eusebio confirmare contendunt. Et quod Lucas Act. 7. dicit, Paulum fuisse adolescentem, cum Stephanus est necatus: nihil obstat, quia nomen Græcum significat eum fuisse tunc iuuenem: iuuenis autem durat vsque ad trigessimum quintum annum & tunc succedit virilis ætas vsque ad 50. annum.

Damascum delatus, ac baptizatus ab Anania, & mox in Arabiam se contulit: vbi duob. annis Christi Euangelium annuntiavit. reuersus Damascum, alterum annum ibi exegit: sed ob Iudæorum insidias, vt eorum manus euaderet, è muro sporta demissus auogit. Inde Hierosolymam pergens, ibi à Petro holpes exceptus, quindecim diebus apud ipsum mansit, inde inueni Iudæorum, Cæsaræam: mox Tarsum Ciliciæ patriam suam se recepit. Inde adductus à Barnaba, Antiochiam petijt, vbi magna facta est Christianorum conuersio, vt Lucas in Actis testet.

Paulus & Barnabas an. Christi 44. & Claudij Imperatoris secundo Hierosolymis Antiochiam reuersi, Spiritus sancti admonitu, ordinantur Apostoli: extra numerum duodecim, vt cum potestate Christi Domini Euangelium vbique terrarum annunciant.

Paulus hoc eodem anno segregatus in Euangelium, raptus est in tertium cœlum, vt ipse et testatur in posteriori Epistola ad Corinthios capite duodecimo: Scio, inquit, hominem in Christo, ante annos quatuordecim raptum huiusmodi vsque in tertium cœlum: quæ Epistola scripta est anno Christi 58. & Neronis 2. qui est decimusquartus ab hoc anno.

Anno Christi quadagesimo septimo, & Claudij Imperatoris quinto, Paulus & Barnabas ex Cypro reuersi in Asiam: Antiochiæ P̄sidix ingressi Synagogam Iudæorum die Sabbati, inuitantur ad loquendum pro more: Paulus habita concione, multos ad Christum conuertit. Act. 13. verum sabbato Iudæi, videntes Gentilium multos conuenire ad audiendum verbum Dei, concitata seditione, Apostolos eosdem è suis sinibus eieciunt Qui uenerunt Iconium: & ibi diutius demorati, plurimos ad Christum conuersis, post multa patrata miracula, post multa aduersa tolerata, quæ Lucas silentio præterijt, & Paulus vnico verbo significauit in secunda ad Timotheum capite tertio: Diuisa demum in factiones ciuitate, secesserunt Lystram, & Derben. Act. 13.

Paulus Theclam, nobilissimam virginem, iam viro desponsam, ad cultum fidei, & amorem Christianæ virginittatis conuertit: ob quæ illa multa, & magna perpessa est: ex cuius actibus quamuis quædam habeantur apocrypha, alia tamen sunt probata apud Gregorium Nyllenum homilia quarta, in Cantica: apud Epiphanium hoc est 78. Chrysofostomum homilia vigesima octaua in Actis, Ambrosium capite secundo de Virginibus, quæ vt alia plurima, Lucas prætermisit: vt ait Hieronymus in Epistolam ad Galatas capite secundo.

Paulus peragrata Lycaonia, Lydiam adueniens claudum sanauit: inde populum, quasi Deum se & Barna-



bam adorantem, reprehendens vestibus dilaceratis, ab eo confilio, & proposito auerit: verum paulo post ab eodem populo lapidatus, & pro mortuo habitus, Derben se recepit: indeque multis peragratis regionibus, & constitutis Episcopis, Antiochiam Syriæ cum Barnaba rediens, tempus ibi non modicum est commoratus.

Anno Christi quinquagesimo secundo, Claudij vero Imperatoris decimo. Paulus Athenas perductus, ibi Evangelium prædicauit: & quosdam conuertit ad Dominum, in his Dionysium Areopagitam, & mulierem nomine Damarim, *Actor. decimo septimo*, quam fuisse uxorem Dionysij testantur Ambrosius in *Epistola ad Vercellenses*, Augustinus sermone de *summe*, Chryostomus libro quarto de *Sacerdotio*. Inde Paulus veniens Corinthum, inuenit Aquilam, & Priscillam Iudæos, qui nuper venerunt ab Italia, *Actor. decimo octauo*. Hic Paulus diuinitus est admonitus, vt confidenter ageret, vnde & multos Corinthiorum ad Christum conuertit: & annum, & sex menses ibidem commoratus, multa, & magna fecit, vt colligitur ex *secunda ad Corinthios, capite duodecimo*, quæ Lucas vix tribus verbis perstrinxit, *ibi*. Hoc eodem anno scripsit primam Epistolam ad Thessalonicenses, & per viam Iudæorum adductus ad Proconsulis tribunal, non est auditus. Post dies multos Corintho discedens, Syriam peragravit.

Anno Christi quinquagesimo quinto, relictis Ephesi Priscilla, & Aquila, superiores Asiæ partes perlustravit: tum rediens Ephesum, ibi per triennium commoratus, & plurima passus, magna edidit miracula, *Actor. 19. & 20. 1. ad Corint. 15.*

Anno Christi quinquagesimo septimo, & Neronis Imperatoris primo, cum cessaret edictum Claudij, quo Iudæi vrbe Roma excluderentur: Paulus cogitauit de videnda Roma, peragrata primum Macedonia, & Achaia, & Hierosolymis. *Actor. 19.* Hoc eodem anno Paulus profectus Epheso in Macedoniam, Timotheum Ephesi reliquit, & primam ad eum ex Macedonia Epistolam scripsit. Athanasius in *Synopsi*, Theodoretus in *Præfatione super Epistolam Pauli*, ex Macedonia venit in Græciam, *Actor. 20.* ex Græcia in Cretam insulam: vbi & Titum Episcopum ordinauit.

Anno Christi quinquagesimo octauo, & Neronis secundo, Paulus à Creta reuersus in Græciam, Titum ad se Nicopolim vocauit: indeque ex Græcia ad ipsum Epistolam scripsit: Nicopoli secundam ad Corinthios scripsisse creditur. Mansit in Græcia per tres menses, *Actor. 20.* Corinthum rursus iter direxit: inde Cineas perueniens, ibi scripsit Epistolam ad Romanos, vt putat Origenes.

Corintho abscedens iuit Troadem, vbi adolescentem quendam à tertio cenaculo lapsum, suscitauit à mortuis. Inde Casaream, vbi prædictum est ab Agabo, futurum, vt Hierosolymis alligaretur à Iudæis, & traderetur Gentibus. Tandem Hierosolymam peruenit ante Pentecosten. *Actor. 21.* vbi à mortis periculo intentata, à Iudæis, ereptus est per Tribunal. *ibidem*. Quo comminante virgas, siue flagra, coactus est eicere se Romanum asserere, *Actor. 21.* Rursus appetitus insidijs Iudæorum, illisque detectis perducitur Casaream ad Felicem Præsidem, *Actor. 23.* apud quem suam causam egit, *Actor. 24.* Postea concionem habuit ad Festum Præsidentem successorem Felicis. *ibidem*, Inde in nauigium impositus, Romam mittitur. In qua nauigatione, contra eius consilium suscepta, periclitantibus omnibus diuinitus cognouit, omnes incolumes euasuros. Fracta naui prope Ictus, salui facti sunt omnes in Insula Melita. Vbi vipera sarmentis inclusa, inuadente manum Pauli, & ab eo excussa in ignem nullo inde accepto detrimento, putantibus Barbaris statim eum in tumorem conuertendum, eum eum primum homicidam suspicarentur, postea tamen, non sine admiratione, eundem Deum appellarunt. Ex eo tempore, Traditio habet, in gratiam Pauli fuisse insulæ illi diuini-

tus tributum, vt serpentes omnes veneno careant, quantumlibet aliquem momorderint, nullumque afferant detrimentum. Tribus mensibus Melita hyemauit: patrem Publij Principis insulæ, dysenteria laborantem, & alios morbo vexatos sanauit. *Act. 28.* Publium ad Fidem conuertit, insulæ Episcopum præfecit.

Anno Christo quinquagesimo nono, & tertio Neronis, Melita soluens, Romam tandem peruenit, vbi causam suam egit apud Imperatorem, & Senatorem. Liberatus ab eo est ea tamen conditione, vt vinculis catena cum custodiante se milite, libere posset agere. Ex vinculis plures scripsit Epistolas, videlicet, secundam ad Timotheum, eam quæ est ad Ephesios, & ad Philippenses, ad Colossenses, imo eam etiam quæ est ad Hebræos.

Paulus biennio in vinculis exacto, & suæ libertati permissus, quid reliquo tempore Neronis Imperatoris egerit, certo non constat. An in Hispaniam iter, sunt opinioniones. Hippolytus de *Septuaginta duobus discipulis*, Damascus ad *Dracunculium*, Cyrillus *Catechisi decima septima*, Epiphanius *Harresi septuagesima septima*, Chryostomus in *Præfatione Epistola ad Hebræos*, & *homilia septima, de Laudibus Pauli*, & *septuagesima sexta in Mattheum*, Theodoretus in *secundam ad Timotheum; capite ultimo*, & *capite primo, ad Philippenses*: & in *Psalmum 107.* Hieronymus *capite undecimo, hysia*, Gregorius libro *trigesimo primo. Moral. cap. 22.* Isidorus *libro de vita, & obitu sancto* & *cap. 71.* Beda in *Martyrologio, die vigesimo secundo Martij*, testantur Paulum in Hispaniam percessisse. At Gelasius Papa in *cap. Beatus, vigesima secunda questione 11.* videtur negare, Paulum iussisse in Hispaniam.

Anno Christi sexagesimo octauo, & Neronis duodecimo, Petrus & Paulus diuino consilio: ex diuersis orbis partibus, vt afflicta Neroniano gladio Ecclesiæ Romanæ succurrerent, Romam conuenire: Simonem Magum, magicæ superstitionis conuenire: & occasione mortis Simonis, quem è celo, quo volatæ dæmoniacæ caræ, & ope tentauerat, deiecerunt: sancti Apostoli mense Octobri, in carcerem coniecti sunt, & nouem in eo menses vsque ad martyrium detenti. *Martyrologia Romanum, Beda, Vssardi*: iidem Apostoli Procellus, & Martinianum carceris custodes, & alios quadraginta septem ad Christum conuerterunt, quos fonte diuinitus in ipso carcere erumpente baptizarunt: qui carcer, & fons adhuc Romæ in radicibus Capitolij celebres extant, & sanctæ, ac pie visuntur, ac frequentantur.

Anno Christi sexagesimo nono, & Neronis Imperatoris decimo tertio, Petrus, & Paulus tertio Kalendas Iulij, Neroniana persecutione damnati, eodem anno, non diuersis, martyrio sunt coronati. Prudentius *Persephaven Hymno duodecimo*, & *Atator libro secundo Actorum Apostolicorum in fine*, & Augustinus *sermone de Sanctis vigesimo octauo*, putarunt eos passos esse eodem die, sed non eodem anno. communis tamen est sententia, fortiter eos martyrium subiisse eodem die, & anno. Ita Caius Theologus antiquus, & Dionysius Corinthius *apud Metaphrasem die vigesimo nono Iunii*, Zepherinus Pap. in *Epistola quadam, Damascus in Concilio Rom.* Eusebius, Epiphanius, Hieronymus.

Paulus demum capite obruncatus est extra Portam Hostiensem ad aquas Saluias: lac pro sanguine reddidit: proindeque is locus, ex mirabili euentu truncati capitis, & tres fonticulos perennes efficiens, ad tres fontes nomen accepit.

Quæres, Quoto ætatis anno Paulus mortuus sit? Respondeo cum Chryostomo in *Homilia de Principe Apostolorum*, anno sexagesimo octauo, quia quando conuersus est ad Christum, erat triginta duorum annorum, vt superius dixi, & mortuus est anno trigesimo sexto post Christi necem: ergo cum passus est mortem, erat annorum sexaginta octo.

## CAP. XXV.

## De festis aliorum sanctorum diebus.

Sancti Ioannis Baptistæ Natalis dies festus, & facer in Ecclesia de iure communi colitur, & seruatur. *e. Conquestus de Ferijs, cap. Pronunciandum de consecr. distict. 3.*

Olim Latini titum Milarem sacrificijs huius diei celebratam agere, & colere consueuerant, vt testatur Albinus libro de Diuinis officijs cap. de Ioanne Baptista. Amalarius lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 3. Nam in priuilegio vna Milia fiebat, in qua Præcursoris officium recitabatur: secunda, in die Natali eius: in qua legebatur, quomodo sanctus ex vtero matris prodierit: tertia in die proxime sequenti, in qua Euangelium canebatur de officio; quo in baptismo ministrando functus est. Vnde in libro, cui ordo Romanus, nomen est, in cap. vltim sic habetur: [In Natali sancti Ioannis deo tres Milia celebrantur, id est, vna in Vigilia eiusdem, due in tribus sequentibus, quia tribus triumphis refulsit insignis: id est, Officio Præcursoris, Baptistæ ministrio: & quia Nazareus ex vtero matris permansit.]

Ioannes Baptista in vtero matris gratiam, & sanctitatem ad primum est: vnde natus est sanctus, non tamen est conceptus sine peccato originis. Nec obstat, quod Martyrologia Be. sic, & V. i. r. d. i. ac Adonis habeant sic: *octavo Kalendas Octobris conceptio Ioannis Baptistæ*; nam eo die Ioannis conceptionem primum ponunt, non quod fuerit cum gratia, & sanctitate conceptus: sed quod eius conceptio fuerit hominis, qui futurus erat insignis, nimirum Præcursor Domini, Propheta, Doctor, Virgo, Martyr; maior denique inter natos mulierum. Id itidem Beda, V. suardus, & Ado fecerunt: quia apud Chrysostrum in sermone de Natiuitate S. Ioannis Baptistæ legerunt, conceptum esse Ioannem Baptistam 8. Kalend. Octobr. id est, die vigesimoquarto Septemb.

Sed quorundam dies, in quibus hebdomada erat illis, quo natus est Ioannes Baptista? erat sextus dies hebdomadae, qui dicitur dies Venetis, quia natus est Ioannes eodem anno, quo natus est Christus, quamuis sex mensibus ante Christum, sed anno quo Christus ortus est, litera Dominicalis fuit B. & incidit in diem vigesimam quinquam Decembris, & litera G. indicauit eo anno diem Venetis, quæ fuit dies vigesima quarta Iunij, quando natus est Ioannes.

Ioannes Baptista inter alia priuilegia diuinitus accepta, hoc etiam in suo, & perillustre habuit, vt in vtero matris, cum est sanctificatus, libero rationis vsu præditus fuerit, vt communi sensu tradunt omnes Patres; illud insuper adiciens eum, cum in materno vtero exsiliret, fidei & Prophetiæ donum habuisse, & Dominum cognouisse, Christum scilicet Messiam, virginis visceribus inclusum. Ita S. Irenæus lib. 3. cap. 18. Origenes homilia decima, in Lucam, Ambrosius lib. 5. de Fide, cap. 4. & serm. 63. Cyrillus de rebus in Deum fide, cap. De Euangelio secundum Lucam, Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi tertia, Chrysostrum de sancto Ioanne, Hieron. in Dialogo contra Luciferianos. Maximus in Hom. de S. Ioanne Baptista, Chrysostrum ser. 14. Bernardus ser. de Natiuit. Ioannis Baptistæ, Theophylactus, Euthymius, Luca 1. Leo serm. 4. de Epiphania, & Gregorius lib. 3. Moral. cap. 5.

Quæres etiam, An postea in eo rationis vsus permanserit? Respondeo permansisse, vt colligitur ex Ambrosio & Beda: Nec enim postea aliquid commisit, propter quod mereretur talis ac tanti priuilegij iacturam, & sine poenitentia sunt dona Dei, vt ait Apostolus.

Rogabis etiam, quoto ætatis anno Ioannes in desertum secesserit? Non est profecto verisimile, cum secessisset, dum infans erat, quamuis Origenes id insinuare videatur. Creditur statim post septennium, in quo finitur infantia, & incipit pueritia, abisse in desertum: vbi

permanens vique ad trigésimum ætatis annum: tunc enim apud Hebræos, Doctoris munere, & officio fungi quis poterat.

At quoto ætatis anno fuit ab Herode in carcerem missus? anno trigésimo primo circa Paschale tempus, & anno vno est in carcere detentus: mortuus est autem anno trigésimo secundo currente, sub Paschale itidem tempus, vt Beda testatur, Mar. 6. At celebritas anniuersaria Decollationis eius translata est in diem vigesimam nonam Augusti, quando Edessæ inuentum est caput eius: quia Paschali tempore olim Ecclesia non celebrabat dies festos Nates martyrum, consequens est, vt mortuus fuerit Ioannes Baptista vno anno ante necem Christi Domini.

Sancti Stephani protomartyris dies festus iure communi colitur, & seruatur in toto Christiano orbe, vt patet ex cap. Pronunciandum de consecr. distict. 3. & cap. Conquestus de ferijs: & eius diei obseruatio est antiquissima. Verum dubiæ quæstionis est, quoto anno Christi Domini B. Stephanus fuerit extinctus? Quidam, vt Glycas & Nicephorus tradiderunt, mortuum esse anno septimo post mortem Christi, quia S. Ignatius in Epistola ad Trallianos scribit, Stephanum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Diaconum, seruissse Iacobo Hierosolymorum Episcopo. Durandus in rationali Diuino officiorum lib. 7. cap. 44. & Ioannes Beleh de Diuin. offic. ca. 71. tradunt eum esse mortuum paucis mensibus à morte Christi, videlicet 3. die Augusti eodem anno, quo Christus in cælum ascendit, & celebritatem anniuersariam Natalis eius olim agi, & colite consueuisse eodem 3. die Augusti: & ab anno 415. quo inuentæ sunt Beati protomartyris reliquæ, vna cum reliquijs Nicodemi, Abibonis, & Gamalielis, translata fuisse in diem vigesimam sextam Decembris, quo die sunt inuentæ prædictæ Reliquiæ. Sed certe hæc stare non possunt: quia dies Natalis Stephani longe ante illud tempus celebrari consueuerat, die nimirum 26. Decembris: nam vt patet ex sermonibus Nysseni, Augustini, & Fulgentij, ipsorum tempore colebatur statim post diem Natalem Domini: Ideo quidam alij putarunt fuisse Stephanum lapidatum die quidem 26. Decembris, sed eodem anno, quo Christus in cælum ascendit, nimirum octo, vel fere nouem mensibus elapsis à morte Christi.

Meo iudicio, probabilius illi opinantur, qui dicunt Stephanum martyrium subisse anno secundo, post mortem Christi, videlicet 26. Decembris, quo eius natalem celebrat Ecclesia, anno vno à morte Domini, mensibus 8. diebus 23. elapsis. Hæc sententia videtur magis congruere cum eo, quod S. Ignatius scribit ad Trallianos, Stephanum in munere & officio Diaconi seruissse Iacobo Hierosolymorum Episcopo: seruauit enim anno vno, & mensibus 8. vel fere 9.

S. Stephanus solet à Patribus dici Archidiaconus Hierosolymorum, & Primicerius Diaconorum in Ecclesia, teste Augustino sermone 94. de diuersis. Hoc ideo accidit: quia cum Lucas enumerauit septem Diaconos ab Apostolis electos, primo loco & ordine posuit Stephanum.

Sanctorum Innocentium anniuersaria celebritas neesse sitate præcepti colitur, & seruatur, vt patet ex c. Conquestus, de ferijs, & cap. Pronunciandum de consecr. distict. 3. Caietanus in Summa hunc diem, ait coli & seruari vt festum, iuxta morem, & consuetudinem prouinciæ, vel populi: nam alicubi non seruatur. Sed dicendum est, iure communi, vt constat ex prædictis capitibus modo allatis, hunc diem esse feriatum, & seruandam à populo, sed consuetudo alicubi iuri communi derogauit, in ijs locis videlicet, in quibus non seruatur tanquam dies festus.

Quæres, Quoto anno à Natali Christi sint ab Herode innocentes interfecti? Quidam putarunt eos passos fuisse biennio post Natalem Christi, sed die vigesimo octauo Decembris, quia Matthæus dixit: occidisse He

M. 21

Ad Roman. 11

Mat. 2.

eodem infantem à bimatu & infra. Alij volunt eos occisos fuisse eodem anno, quo natus est Christus, sed paucis mensibus transactis à Natali eius: & Herodem tyrannice & crudeliter extendisse tempus, sicut etiam fines Bethlemiticos: occidit enim à bimatu, & infra: & non solum pueros qui erant in Bethleem, sed etiam in omnibus finibus eius. Videtur esse probabile, Herodem interfecisse infantem quidem 28. Decembris, quo die Natalem eorum Ecclesia colit, sed vno anno, & tribus diebus elapsis à Natali Christi. Si iterum roges, An huius diei festi observatio sit antiquissima? Vi letor talis: de hac enim Origenes homilia 3. in Mattheum: Bene, inquit, & secundum voluntatem Dei eorum memoriam celebrari mandavit sempiternam in Ecclesia, veluti pro Domino morientium. Irenæus libr. 3. cap. 18. eos martyres vocat, quia reuera pro Christo sunt interempti: in eis enim Herodes Christum necavit.

Sancti Laurentij martyris dies festus colitur, & servatur necessitate præcepti, quemadmodum constat ex cap. Conquestus de feriis, & cap. Pronunciandum de consec. dist. 3.

Sanctum Laurentium Hispanum fuisse, testantur omnes Ecclesie Hispaniarum, Puto in Hispanijs fuisse traditionem communi consensu receptam, eum fuisse Osee in Aragonia natum ex parentibus Christianis Orentio, & Patientia: sed ex Hispania in Italiam venisse, & in Romana vrbe factum esse Diaconum, deinde martyrem. Non est quod Hispanum esse quies negat: nam recedendum non est à traditionibus, in aliqua natione communi Ecclesiarum consensu receptis.

Passus est sanctus Laurentius in persecutione Valeriani Imperatoris, ut habet Martyrologium Romanum: quamvis certa Latinorum Martyrologia, & Acta Sancti Laurentij, & Eusebius, & ceteri omnes historici referunt eum passum in persecutione Decij Imperatoris. Constat enim Sixtum secundum sub Valeriano Imperatore martyrium devicta morte subisse. Nam Sanctus Cyprianus qui tunc vivebat, certum nuncium accepit de martyrio Sixti, ut ipse scribit, & Pontius Diaconus aperte tradit eodem anno Sanctum Cyprianum occisum fuisse, quo sanctus Sixtus ad martyrij palmam victor superato hoste præcesserat. Convenit autem inter omnes historicos, Cyprianum fuisse passum in persecutione Valeriani Imperatoris. Et ne tanquam falsa arguantur Acta S. Laurentij, & cetera Latinorum Martyrologia, dicendum est, persecutionem Valeriani sæpe dici persecutionem Decij, quia à Decio indicta, & incepta, postea Valeriani edictis confirmata est.

Dedicatio Ecclesie S. Michaelis, quæ die 29. Septembris colitur, & ipsa refertur inter ceteros dies festos in cap. Conquestus, & cap. Pronunciandum supra citatis. Historia rei gestæ accidit Gelasij Primi temporibus, quare perantiqua eius diei observatio censetur.

Omnium Sanctorum festus dies in eisdem Decretis atque capitibus ante nominatis inter dies feriatos & solennes memoratur. Porro Bonifacius IV. instituit, ut vno eodemque tempore dies festus ageretur omnium simul martyrum, & ita Romæ agi primum cepit: postea vero Gregorius Quartus, in cæteris Occidentis Ecclesijs idem faciendum curavit, ut scribit Sigebertus in Chronica. Existimant quidam, hunc diem festum ante Ludovicum Pium Imperatorem non fuisse institutum, quia in Concilio Moguntino nulla huius celebratio sit mentio. Sed verisimilius longe mihi videtur ante Carolum Magnum coli cœpisse in cæteris Occidentis Ecclesijs: at Caroli Magni tempore nondum esse in tota Gallia receptum. Quod autem Augustini sermones legantur tanquam in die festo omnium Sanctorum habiti, potius sunt Alcuini hi sermones, quam Augustino tribuendi, ut Louanensis Schola annotavit.

Primo quaeritur, An dies S. Siluestri sit iure communi, ut festus, colendus? Respondeo, eum diem iure commu-

ni, antiquo & novo, ut festum agi, quoniam inter ceteros memoratur in cap. Conquestus de feriis & cap. Pronunciandum de consec. dist. 3. Sed nunc tantum Romæ servatur, & consuetudine eius observatio alibi subblata est.

Secundo quaeritur, An dies S. Martini Episcopi Turonensis iure communi festus habeatur? Respondent Tabienfis, & Armilla, & alij, eum diem, ut festum olim colitum esse, iure communi antiquo, quod habetur in cap. Pronunciandum, de consec. dist. 3. non tamen iure novo & recentiore, quod est in cap. Conquestus de feriis. Hoc autem ideo est, quia antiquum illud ius fuit à Concilio Lugdunensi conditum, & in Gallia tanquam dies festus celebratur. At vero Gregorius Nonus in cap. Cinq. nihil de eo festo meminit. Unde consuetudine non ubiq. servatur. Romæ tamen colitur, & servatur necessitate præcepti iuxta id quod habetur in cap. pronuciandum de consec. d. 3.

Tertio quaeritur, An iure communi alij dies festi sanctorum coli, & servari debeant præter iam memoratos? Quidam censent, inter quos videtur esse Ioan Andreas cap. Conquestus de feriis, Pisan. in verbo Feria, esse iure communi novo, non antiquo colendos dies duorum: Eugenij & Agathe, & quatuor doctorum Ecclesie SS. Gregorij, Ambrosij, Augustini, & Hieronymi: quod in c. Gloriosus de Reliquijs, & venerat. sancto. in sexto constitutum est, ut Iolemi ritu celebrantur dies quatuor: Evangelistarum, & quatuor Ecclesie Doctorum. Sed verum est quod alij tradiderunt, videlicet Anton. 2. par. 11. 9. c. 7. §. 1. Angel. Rosel. in verbo feria. Silu. in verbo Dominica. Tabien. in verbo feria. num. 6. hos dies tanquam festos non esse vilo iure communi colendos, & servandos: eo quod in cap. Gloriosus, solum præcipit Pontifex, ut in Ecclesia celebrantur instar dierum festorum duplicium: non autem tanquam festi, & solennes à Christiano laicorum populo serventur. Alicubi tamen consuetudine observantur, quæ consuetudo tanquam pia vbiq. que fuerit, retinenda est, ob aliorum offensionem, cum quibus videtur devitandum.

Quarto quaeritur, An iure communi tanquam dies festi, sint colendi tres illi dies Rogationum, sive supplicationum, qui proxime Ascensionem Domini præcedunt? Respondeo iure communi antiquo in c. Pronunciandum de consec. dist. 3. inter dies feriatos, & factos recentiori, & in cap. Rogationes de consec. distinct. 3. dicitur: Per quod tri-duum ferii, & ancilla ab opere relaxentur, quo magis plebs univrsa conveniat: At recentiori iure quod habetur in cap. Conquestus de feriis: hi tres dies observantur, & consuetudine non servantur, Anton. 2. par. 11. 9. c. 7. §. 1. Silu. in verbo Dominica §. 1. Angel. Rosel. in verbo feria. Armilla. eod. verbo. num. 5. c. 6.

Quinto quaeritur, An dies Hebdomadæ sanctæ sint iure communi tanquam dies festi servandi? Respondeo, iure communi, quod statuitur in cap. Conquestus de feriis, inter dies feriatos numerari septem dies Dominicæ passionis: iure tamen communi antiquiore contento in cap. Pronunciandum de consec. distinct. 3. dies festi non habentur. Consuetudo etiam, ius in cap. Conquestus constitutum abrogavit. Et quamvis quidam existimant illud ius vim habere in tribus, vel duobus diebus proxime præcedentibus Pascha, ita ut illo triduo, vel biduo, videlicet feria quinta, & sexta, omnes interesse oporteat Divinis officijs, tametsi ijs absolutis, liberum cuique sit se in operibus etiam servilibus exercere: consuetudine tamen hoc etiam videtur esse sublatum. Silvester in verbo Dominica. quaestione prima, versiculo septimo. Armilla, verbo feria. numero sexto. Rosel. verbo feria, in principio. Nihilominus servatur etiam nunc, quod habetur in cap. Conquestus: ut videlicet etiam diebus, & tota hebdomada sancta, nec iudicia, nec causæ forenses seu iudiciales exercantur.

Sexto quaeritur, An sex dies proxime Pascha sequentes, sint iure communi habendi tanquam dies festi? Respondeo in cap. Pronunciandum, de consec. dist. 3. inter dies festos

computari sanctū Pascha cum tota Hebdom. d. i. & in ca. *Conquestus, de ferijs*, refertur dies Dominice Resurrect. omnis cum septem sequentibus. Cæterum consuetudine, duo tantum qui proxime Pascha sequuntur, vt festi seruari solent: reliqui inter profestos habentur. Silu. Rosel. *Artil. loci cit.* Anton. 2. par. sit. 9. c. 7. § 1. Angel. verbo *seria num. 3.* Caiet. in *summa*. Cæterum cause forenses, siue iudiciales non tractantur tota prædicta hebdomada, iuxta id, quod habetur in *capit. Conquestus*.

Septimo queritur, An dies Dedicacionis cuiuslibet Ecclesie iure communi tanquam festus agi, & coli debeant? Respondeo iure communi antiquo in *cap. Pronunciandum de consec. distinctio. 3.* inter festos dies numerari Dedicacionem cuiuslibet Ecclesie: at iure communi, quod habetur in *capit. Conquestus, de ferijs*, talis dedicatio non cogitur, nec tanquam dies festus consuetudine: & more seruatur.

Octauo queritur, Quidnam in iure communi continentur de festis diebus aliorum sanctorum? Respondeo, nullos diest præter memoratos, iure communi pro festis haberi: vsu tamen & consuetudine aliqui alij sunt introducti. Solet enim alicubi coli, & seruari tanquam dies festus celebratas S. Barnabæ Apost. S. Mariæ Magdalenzæ, S. Sebastiani, & alicubi etiam S. Nicol. Episcop. S. Antonij Abbatis, S. Catharinæ Virginis, & matris, S. Lucie: quamuis Siluest. in *verbo Dominica quest. 1.* Angelus verbo *seria num. 7.* doceat hos quatuor vltimos non ita vsu esse introductos, vt consuetudo vim legis habere videatur: seruatur, inquit, potius Christiana pietatis studio, quam vlla necessitate præcepti siue legis. Quare si nulla fuerit aliorum offensio, absque vilo peccato quis in huiusmodi diebus, & sacrum omittit, & operibus seruilibus se exercet.

Nono queritur, Quinam dies festi maioris alijs habeantur iure communi? Respondeo in c. *Licet de ferijs* Alexander III. ait: *Indulgemus, vt liceat Parochianis vestris, diebus Dominicis, & alijs festis, præterquam in maioribus anni solemnitatibus, & reliq. non explicat tamen Pontifex; qui tantj dies festi maioris alijs, Glossa eo loco, communi consensu recepta exprimit quinque dies eiusmodi solempnes & maiores, videlicet Natalem Domini, diem Epiphaniarum, Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes. In cap. Alma mater, de sent. excommu. in sexto statuitur, vt tempore interdicti Diuina officia fiant ianuis templi clausis, & submissa voce, non pulsatis campanis, & exclusis interdictis, excipiuntur dies festi Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, in quibus diebus conceditur, vt solempni ritu & consueto more omnia Diuina officia fiant. Ex quibus colligitur, iure communi antiquo sex dies festos præcipuos haberi. diem Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Dei Genitricis.*

Decimo queritur, An cultus, qui sanctis cæli ciuibus tribuitur, in diebus festis, sit tantum ciuili, an vero sit etiam religiosus ac pius? Hæretici contendunt solum in Dei honorem, & cultum dies festos posse constitui, & idololatriæ crimen committi, si dies festi in venerationem sanctorum pie & religiose colantur, quare sentiunt, huiusmodi dies festos tantum institui, vt ciuili quodam cultu, & humano sancti cæli habitatores, & incolæ honorentur: quemadmodum honorari solent Magistratus, & Principes. Deinde vt eorum præclares gestæ publice referantur, prædicentur, celebrentur. Denique vt nos eorum exemplo permoti egregia facinora imitemur. Eodem modo, aiunt isti Hæretici dies festos Imperatoribus, Regibus atque Principibus dicari solere, non vt hi religiose colantur, sed vt ciuilitate honorentur. Verum enimvero dubitandum non est, dies festos pie & religiose dicari Martyribus & Sanctis, qui in cælo cum Christo Domino regnant: & in hisce diebus ipsos pio & religioso cultu honorari, & non tantum ciuili. Colimus etenim, & veneramus eos vt nuncios & interpretes Dei,

& vt aduocatos, & patronos apud ipsum Deum. Item vt eius ministros ac milites; vt vera, ac viua instrumenta, quibus Diuina Maiestas vt dignata, pro sua bonitate mirabilia efficit: tanquam eos demum, quos Deus cultu honorari vult, quosque Deus in pretio, & honore habet.

Ad Hæreticorum vero argumentum obijcientium, Religionem esse virtutem, quæ soli Deo cultum debitum præstat; Respondeo Religionis esse, & Deo cultum deferre, & creaturis propter Deum, non præcisè propter ipsas. Cultum Sanctis cælestis patriæ ciuib. tribuimus propter Deum: sicut etiam per creaturas iuramus, quatenus sunt creaturæ Dei, & prout in ipsis Dei veritas elucet, & tamen iurare, est Religionis officium, Non mihi placet quod quidam Catholicici illud Prophetæ in *Psalm. 150.* solum interpretantur sic: *Laudate Dominum in sanctis eius.* Laudate Dominum in sanctuario eius. Quoniam ita, inquit, habet Hebraica lectio. Nos Septuaginta, & vulgarem editionem Latinam, & communem Græcorum, & Latinorum interpretum sensum secuti, interpretamur; *Laudate Dominum ob sanctos eius*, nimirum, è tot periculis & malis ereptos, ad tantam cælestis gloriæ coronam uectos, tot ac tantis diuinæ gratiæ priuilegijs ornatos. Denique tanquam eos quos Deus, vt sibi charos amat, & nostros voluit esse patronos & aduocatos. Præpositio, in, more Hebræo sumitur aliquando pro præpositione ob, vel propter, ita vt verbum *In sanctis* hic referatur ad personas, non ad loca.

Vndecimo queritur, An dies festi auctoritate Ecclesie instituti, necessitate præcepti coli, ac seruari debeant? Negant Lutherani, contendentes liberum cuique esse hisce diebus templa frequentare, ac sese diuinis reb. exercere. Cæterum omnium Catholicorum sententia est, dies festos auctoritate, & iussu Ecclesie institutos seruari oportere, & ea lege populos teneri: & Christianorum conscientiam obligari.

## CAP. XXVI.

### Cuiusnam sit dies festos instituire.

Primo queritur, An Episcopus habeat ius dies festos instituendi? Conuenit inter omnes, posse iure communi Episcopum in sua diocesi constituere atque decernere, vt aliqui dies festi colantur, ac celebrentur: id enim aperte colligitur ex c. *Conquestus, de ferijs & capit. Pronunciandum, de consec. dist. 3.* Et Glossa ibi in verbo non generaliter.

Secundo queritur, An penes Episcopum ius sit instituendi dies Clericorum solo consensu, absque vilo populi nutu, & assensu? Duplex est Doctorum opinio. Vna affirmat, & id probat, quia populus subijci, ac parere debet, non legem statuere, & ponere: at dies festos instituere, ad auctoritatem, & potestatem Episcopi pertinet, & potest ille quæ iurisdictionis sunt, populo indicare absque eius assensu, & voluntate. Sic olim sensit Antonius Burius in *cap. Conquestus*. sed postea vt ipse ait, sententiam mutauit. Altera opinio negat, ob id quod in c. *Conquestus, de ferijs* aperte dicitur, eos dies festos esse colendos, quos singuli Episcopi in suis diocesis cum Clero, & populo dixerint solempniter venerandos; quod idem profus habetur in *cap. Pronunciandum, de consec. dist. 3.* Panormitanus in c. *Conquestus de ferijs num. 4.* ait, posse Episcopum sine populo statuere, quod ad suam iurisdictionem spectat, quando nihil populi interest: sed quando aliorum interest, non posse absque consensu eorum, quorum interest: & ita sentit Innocentium, Archidiaconum, Federicum, testatur ibi Panormitanus. Idem docent Syluester verb. *Dominica q. 1.* Angelus *Feria, nu. 3.* Tabien. *Feria nu. 10.* An inter dies coli & obseruari debent, populisque ab operibus vacare lege ac præcepto cogitur. Mihi videtur, iure

communi Episcopos sine populo presente, aut ad id vocato, dies festos instituire non posse: idque etiam ostendunt duo Capitula superius citata, & ita olim fieri solitum arbitror. Non enim Clerus solum vocabatur, sed etiam populus: quia nimirum diei festi institutio vtriusque intererat. Consuetudine tamen receptum est, vt nunc dies festi populo minime vocato, sola Episcopi auctoritate adhibito Clericorum consilio constituti indicantur.

Tertio queritur, An ius habeat Episcopus instituere citra Clericorum consensum? Respondeo, iure communi non posse, quod perspicue traditur in *c. Conquestus. Et cap. Pronunciandum*, nec puto consuetudine contraria hactenus id iuris abrogatum.

Quarto queritur, An ius habeat Episcopus instituendi dies festos ijs celi habitatoribus dicatos, qui nondum sunt in Sanctorum numero relati? Respondet Glossa in *ca. conquestus, de Ferijs, Et in c. Pronunciandum, de consec. distinct. 3.* cuius sententia est communi consensu recepta, ius non habere: sed solum posse dies festos sacrare ijs, quos publica Romani Pontificis auctoritas, sanctorum numero adscripsit. Quidam tamen veteres Canonici iuris interpretes, vt Vincentius teste Abbate in *c. Conquestus, num. 2.* censuerunt id iuris Episcopos habere quoniam in *c. Conquestus. Et c. Pronunciandum* in vniuersum decernitur, eos festos dies agi oportere, quæ singuli Episcopi in suis diocesis vna cum populo & Clero duxerint colendos. Sed verior est Glossæ sententia: nam vt constat ex *c. Audiuius de Relig. Et Venera. Sancto. Alexander III. Canonica lege sanxit, ne liceat pro sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ aliquem colere & venerari. Quare quod dicitur in c. Conquestus. Et cap. Pronunciandum*, intelligi debet de ijs, qui auctoritate Romani Pontificis sunt inter sanctos relati: vt cum prædicta Glossa, & cum Innocentio, Ioanne Andrea interpretatur Abbas *loca citato*. Olim quidem, si publico testimonio constabat aliquem pro Christi Domini fide, & religione mortem subisse, Episcopi, Primatis, seu Metropolitanis assensu, & auctoritate, ad quos res tota deferebatur, Clerus & populus tanquam sanctum colebant, & nomine illius templum extruebant, altare erigebant Missæ sacrificium offerebant, diem quoque festum solemniter dicebant: & de hoc antiquo more fortassis loquuntur Vincentius, & Canonæ ac decreta in *cap. Conquestus, Et c. pronuntium de consec. distinct. 3.*

Quinto queritur, An Magistratus vel Principes ciuiles, siue Respublica instituere dies festos iure queant? Respondeo non posse tanquam dies sacros aut sanctos, vt docet Abbas in *c. Quoniam de Ferijs num. 2.* Quemadmodum enim oratoria, & sacella iure communi non habentur tanquam religiosa loca, quæ Ecclesiasticis privilegijs, & immunitatibus gaudeant, nisi fuerint Ordinarium auctoritate fundata, erecta, sacrata, approbata: sic nullus etiam dies tanquam sacer, ac sanctus pieque ac religiose colendus habetur, nisi fuerit Ordinarij auctoritate institutus. Nec enim ciuilibus Magistratus aliquid religiosum potest instituere, quod privilegia obineat Ecclesiastica, siue id ad loca, res, & tempora; siue ad personas Ecclesiæ pertineat. Vnde non est ciuiliū Magistratum dies festos, & sacros instituere, vel indicare; quamuis possint Laicos punire, & ab ipsis repetere pœnas, eo quod non seruent dies festos, quos ipsi indixerint, certis quibusdam pœnis constitutis, Antonin. 2. par. tit. 9. cap. 7. §. 1. Siluest. in verb. *Dominica, num. 2.* At vero Episcoporum est præcipere, vt laici dies festos ab Ecclesia institutos obseruent, & colant, & pœnis debitæ animaduertente in eos, qui aliter fecerint: in his enim diebus festis violandis peccatum est, quod ad forum Ecclesiasticum atinet: & de quo Episcopi cognoscere, & iudicare possunt, non ciuiles & profani Iudices & Magistratus. Quo fit, vt dies festi, qui Principum & Magistratum ciuiliū auctoritate instituuntur, eo sensu acci-

pi debeant, vt ciuili tantum quodam honore obseruentur, nimirum, vt his diebus laici a forensibus negotijs, libitibus, iurgijs, & ceteris huiusmodi ciuilibus functionibus vacent: In *l. Omnes dies, C. de Ferijs*, statuitur, vt dies festi seruentur, si qui fuerint a Principe instituti, vel propter insignem eius victoriam de hostibus reportatam, vel nuptias, vel ob honorem diei in quo natus est, vel ad regni fastigium euectus: vel ob natalem, vel nuptias filij. Simili etiam ratione sunt dies festi colendi, si qui fuerint instituti ab Vniuersitatibus, vel Academiarum Præfectis atque Rectoribus, ciuilem tantum, non Ecclesiasticam potestatem habentibus: & ij dies seruari debent, ita vt in eis Doctores, atque Magistri a publice docendo desistant, ordinarijs & solitis prælectionibus intermissis, & Scholastici feriantur, ac vacent a frequentandis scholis: non tamen ita, vt rem diuinam audire, & à ferilibus operibus continere se debeant: nisi fuerint ab ipsis Ecclesiastica auctoritate ad id generaliter, aut specialiter præditis dies festi iustitii.

Sexto queritur, An consuetudo laicorum possit dies aliquos festos introducere? Respondeo, consuetudinem vt vim legis obtineat, debere introduci ab ijs, qui aliqua ratione statuta ponere queant. Cum autem populus abique Episcoporum auctoritate dies festos instituere nequeat; conuenit, vt populi consuetudo dies festos inducere non possit, nisi eam Episcopi auctoritas expresse vel tacite confirmet. Quare dies festi qui sola populi consuetudine coluntur, non ea lege seruantur, vt in eis Missæ sacrificio interesse quisque cogatur, aut a ferilibus operibus abstinere, sed superfedere tantummodo operibus, ac functionibus publicis, aut etiam priuatis, quæ palam fiunt. Et rursus, ob vitandam aliorum offensionem, intermituntur opera feruilia priuata, vnde vbi nulla subest offensionis occasio, nihil peccat is, qui vel rem diuinam omittit, vel domi priuatim feruilia opera facit. Item quando adest sola populi consuetudo in aliquo die festo obseruando, porius liberali quodam pietatis studio, dies ille colitur, quam vi & necessitate legis. Quo fit, vt si in aliqua provincia, diocesi, oppido, vel loco dies festi de more gentis, ciuitatis, vel populi seruentur, Parochi intersit posse, an consuetudo illa sit Ordinarij auctoritate confirmata: tunc enim populus & Missæ sacrificio interesse, & ab operibus ciuilibus cessare debet.

Septimo queritur, An Ciuitas, siue Communitas Laicorum sese Deo possit voto obligare, ita vt voti ratione diem festum agere & colere debeat? Respondeo populum in hac parte non plus habere auctoritatis, quam Principem; quare non potest simpliciter diem festum instituere, ita vt singuli ciues debeant rem diuinam audire, sed solum ea est vis huiusmodi voti, vt intermittere debeant ciuiles publicæ functiones ac opera. Et iustus quia voti obligatio tantum vouentem adstringit, ac tenet, fit, vt votum quo populus promittit se festum diem seruaturum, ad posteros non pretendatur, quippe qui nulla se Deo voti religione obstrinxerunt: quamuis aliquando accidat, vt posteri id seruare cogantur, quod priores voluerunt, non quidem ratione voti, sed vel ratione statuti, vel consuetudinis receptæ & approbatæ, ita vt secus facientes grauiter delinquant.

Octauo queritur, An possit dies festus institui, qui colatur, ac seruetur vsque ad meridiem tantummodo? Respondeo, posse, si tum ab Ordinarijs, tum a Principibus institui: nihil enim impedit quo minus id fieri queat. Nauarrus in *Manuali cap. 13. num. 5. vers. Ex quo inferitur*, id videtur docere. Quod si Ordinarij auctoritate instituat, vel confirmetur, debet eo die sacrum audire: Vt si iubeat Ecclesia feriam sextam Maioris Hebdomadæ, vel diem Cinerum initio Quadragesimæ ieiunij, vel diem Defunctorum post solemnem Omnium Sanctorum celebratam vsque ad meridiem seruari. Quod si sola Principis, Magistratus vel populi auctoritate dies festus aliquis ad meridiem tantum instituat: fo-

lum eo tempore debent subditi à publicis operibus vacare.

Nono quaeritur, An peregrini & externi, viatoresque perinde atque incolæ debeant dies festos agere, qui de morte seruantur in ijs locis, in quibus vel commorantur ad tempus, vel per quæ transeunt? Respondeo primum de peregrinis & aduenis, qui alicubi commorantur, eos consuetudine ciuitatis, apud quam degunt, se accommodare debere: ac propterea dum extra patriam manent, nequaquam dies festos obseruare coguntur in sua patria agi & collositos, sed eos duntaxat, qui consuetudine celebrantur in locis, in quibus vna cum incolis consistunt, vt colligitur ex ijs, quæ dicit Abbas in cap. *Consilium 6 de Obseruat. Ieiunior.* Si quaeras quid dicendum de eo, qui egressus è patria in alium locum venit? Quidam adducti auctoritate Nauarii in *Manuali cap. 12. num. 5.* Aiunt Si is in aliquo loco per totum tempus matutinum vsque ad meridiem moratur, eum consuetudine illius populi teneri: & ideo Missæ sacrificio eo die iuxta populi consuetudinem interesse oportere. Deinde, si in aliquo loco prandeat, ab eis cibis abstinere debet, qui ex eius ciuitatis consuetudine sunt eo die prohibiti. Cæterum horum opinio mihi non placet. Sed cum Glossa in cap. *Quæ contra. Distinctio. 8. In verbo, Aut peregrini. Et in cap. Illa autem. Distinctio. 12. In verbo, Veniens,* distinguendum existimo: Aut peregrini veniunt in locum statim discessurus; siue propediem abituri, aut ibi mansuri & habitaturi ad tempus. Si primo, non tenentur consuetudinibus, quæ seruantur in loco, ad quem veniunt, nam colligitur ex l. *Debitor, ff. de Pignori.* solos perpetuo habitatores obligari legibus ciuitatum. Si veniant ibi cum incolis habitaturi, consuetudinibus alligantur vt incolæ; & hoc modo interpretatur Glossa id quod habetur in c. *Quæ contra, Distinctio. 8. ex Augustino:* Consuetudines gentis, aut ciuitatis nulla eius aut peregrini libidine violandas; eo quod ex eodem Augustino dicitur in cap. *Illam autem, Distinctio. 12. ad quamcumque sorte Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi.* Sic etiam Palud. in 4. *Distinctio. 15. quaestio. 4. art. 3.* Antonin. 2. *Par. Tit. 6. cap. secundo. §. 2. Silu. Ieiunium quasi. secunda. Rosel. Ieiunium num. 16. Turrecrem. in cap. Dignitatem. Distinctio. 8. num. 2. Et in cap. Illa. Distinctio. 12. num. 2. Ledesma in 4. 2. *Part. quaestio. 17. art. 3. Med. 1. 2. quaestio. 96. art. 5. prope finem.**

De viatoribus dicendum etiam arbitror eos, dum per aliqua loca iter facientes transeunt, minime adstringi ad sacrum audiendum ijs in locis, per quæ transeunt, & in quibus dies festi de more seruantur. Si ibi prandeant, etiam dum transeunt, pro consuetudine ciuitatum, aut populorum non coguntur ciborum delectu vt iis in locis solito, quia ad ea loca veniunt statim recessuri. Et quia, vt colligitur ex l. *Hares absens §. Proinde ff. de Iudicijs,* viatores non sortiuntur forum ciuitatis, vel populi, per quem transeunt. Eos pariter qui è patria proficiscuntur, si manere exeant, oportet sacrum audire ibi, vel alibi, si is dies more patriæ festus habeatur. Quæres, an si aliquis summo mane è patria profectus in alium locum deuenit, debeat se ab opere seruili continere, si dies festus sit in patria, in alio vero loco profectus? Sunt qui dicant, eum rem quidem diuinam audire oportere, sed non intermittere opera seruilia: quippe sacri audiendi præceptum, statim atque è patria mane exijt, eum tenet: quoniam huius præcepti obligatio primo vsque mane incidit, & in meridie finitur ac desinit: ergo qui mane exijt è loco, vbi dies festus agitur, tali præcepto ac consuetudine tenetur? at vero operum seruilium vacatio, pro consuetudine ciuitatum, in quibus interdiu immoratur, habenda est. Si vsque ad meridiem in loco degamus, vbi dies festus colitur, ab opere seruili cessare debemus: si post meridiem sumus in alio loco, vbi dies festus habeatur, laborare libere possumus: sunt enim variaz populorum consuetudines vbi que seruandæ: Hoc

colligunt prædicti Auctores ex ijs quæ tradit Nauar. in *Manuali. cap. 13. num. 5. vsq. 1. Inferius sexto.* Sed profecto Respondendum existimo, vt dixi: Aut quis exit è patria alibi immoraturus, aut cito in patriam rediturus. Si rediturus cito, consuetudine suorum conciuuium, aut popularium tenetur, non more ciuitatis, aut populi, ad quem venit cito recessurus. Si exit è patria alibi habitaturus, non more suorum conciuuium ligatur, sed eorum ad quos venit vna cum eis moraturus: Sic vt dixi, Gloss. Palud. Antonin. Silu. Rosel. Ledesma. & Medina loci supra ciuitatis opinantur.

Decimo quaeritur, An sicut variaz sunt ciuitatum, aut populorum consuetudines in obseruatione dierum festorum, possint quoque esse diuersæ eodem in loco inter eos, qui diuersas artes exercent. Hoc est quaerere, An si in aliquo oppido dies festus agatur, excusari queat opifices, certum aliquod genus artis consuetudine exercentes: cum tamen ceteri omnes pro ciuitatis aut populi consuetudine diem festum obseruent; Rosel. *Feria num. 5. negat:* Respondeo tamen, posse quidem excusari, modo tamen ea consuetudo expressim, vel tacite ab eorum locorum Ordinarijs permittatur. tunc vero tacite permittitur cum eam Ordinarii compertam habent, nec tamen corripunt, nec puniunt eam seruantes, cum alioqui possent commode punire. Sic Caiet. in *Summa, verbo, Festorum violatio. Silu. verb. Dominica, quest. 1. vers. Septimum Antonin. 2. Part. Tit. 9. cap. 7. §. 1.* Nam si reprehendant, aut pœnis debitis plectant, ea consuetudo vim non habet, sed est corruptela. Quo fit, vt si alicubi in die festo sutores vel sartores in officinis, vendere rusticis ex villa in urbem venientibus, vestes, aut calceos soleant, liberi culpa sint, si id vniuersum omnes efficiant, nec Ordinarii scientes vilo modo repugnent. Caietanus in *sum. in verbo, Festorum violatio.* Eandem quoque excusationem iustam habent, qui capillos, vel barbam tondere solent in perugio alicuius diei festi vsque ad vnam vel duas horarum horas in ijs locis, in quibus festi & sacri dies secundum Canones & iura obseruantur à vespere vnius diei, vsque ad vespem diei sequentis: hoc est, ab occasu solis vsque ad alterum occasum. Sic Caiet. loco citato. Tabien. *Feria. num. 13. Armilia festum n. 8. Sil. Dominica quasi. 1. ad finem. Nauar. in Manuali. cap. 13. num. 8.* Liberi quoque omni culpa sunt ii Magistratus, qui Ius dicunt in diebus festis, rusticis ad urbem venientibus, eo quod aliis diebus venire commode nequeant, Caiet. loco citato. Quæres an figuli excusari queant, qui in diebus festis consuetudine quadam materiam præparant, vt die proxime sequenti non festiario lateres & tegulas decoquant: cum tamen eo die profecto materia præparari queat, quamuis non sine trium duarumve horarum iactura. Reuera si id alicubi generatim figuli omnes efficiant, & Ordinarii eius rei conscii non puniunt, cum commode possint, nec reprehendant, non peccant, Secus tamen si pauci id faciant: aut si omnes quidem, sed contradicentibus Ordinarijs. Idem iuris est in iis, qui in die festo ad vespem iumenta aut currus plaustrave oneribus vacua in villam mittunt siue deducunt, ne operam vnius, duarum triumve horarum in die profecto proxime sequenti perdant; secus tamen est si iumenta, currus, aut plaustra onusta mitterentur, aut deducerentur.

Vndecimo quaeritur, An famuli opificum, siue artificum à peccato liberi sint, si in die festo mechanicam artem exercent dominorum iussu? Respondeo, varia esse famulorum genera: aut enim sunt adolescentes, qui mechanicarum artium magistris operas locant suas ad aliquot menses, hebdomadas, vel annos nulla mercede, vel stipendio conducti, sed ea tantum lege, vt certam artem addiscant, vnde viuunt. Aut sunt iuuenes certa mercede conducti. Rursus aut sunt famuli, qui nisi iussu domini facerent, dimitterentur, & graui aliquo afficerentur damno, cum alium dominum, à quo

conduci possent, vix com mode reperirent; an secus. Item aut laborare coguntur post rem diuinam die festo auditam, aut ea non audita.

Insuper aut iusto metu dominis obedire coguntur, aut secus. Si famuli iusto metu compellantur: aut graue aliquod damnum sustinere cogantur, si à suis dominis expulsi & eiecti fuerint: tuta conscientia parent & inferunt, saltem si Missæ sacrificio interfuerint, tunc enim non ipsi, sed domini culpantur. Si autem nihil damni, quod sit alicuius momenti, patiantur, debent potius diem festum seruare, quam dominorum iussa facere. Est enim potius Ecclesiæ, quam homini parendum. Sic Rosella *Feria num. 23. & 24. Silu. Dominica, quæstione quinta, vers. 2.* Nauar. in *Manua. capit. 13. numero 7.* Caietan. in *summa verb. Festerum violatio. Sotus 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 1. ad finem, in alio casu simili.*

Duodecimo quaeritur, vndenam, quod attinet ad feruiliu operum vacationem dies festi incipiant, & quando terminentur secundum Canones & iura? Respondeo, iure communi, quod habetur in *c. 1. de Ferijs*, dies Dominicos incipere à vespera, & vespera dici proxime sequentis terminari: id est, ab occasu solis vsque ad alterum occasum. Et in *cap. Quoniam de Ferijs* dicitur: *Licet scriptum sit: A vespera, in vesperam celebrabitis sabbata vestra: festorum tamen principium, & finis iuxta eorum qualitatem. & diuersarum regionum consuetudinem debet attendi, & sicut magnitudo dierum exigit prius incipere, & tardius terminari, &c.* Panormitanus, & alij quidam Canonici iuris interpretes *cap. Quoniam de Ferijs*, docent, iuris esse diuini, vt dies festi incipiant à vespera vnius diei, & in sequentis diei vespera terminentur, quod demonstrant ex eo quod habetur. *Leuit. 23. supra citato: A vespera in vesperam celebrabitis sabbata vestra, & ex eo quod ius commune in cap. Omnes dies, & cap. Quoniam de ferijs* statuit, ita esse dies festos colendos: quia id lex diuina sancit. Vnde colligit Panormitanus vna cum alijs quibusdam Iuris Doctoribus, Ius diuinum, iure humano aut consuetudine explicari, declarari, laxari, restringi, & mutari posse; hoc est, ex parte tolli, & abrogari: quia cum dies festi iure diuino à vespera in vesperam agi colique debeant, nihilominus tamen in *cap. Quoniam de Ferijs* dicitur, Festorum principium & finem præ diuersarum regionum consuetudine attendi oportere. Mihi tamen hæc opinio minime probatur. Nam Canonici Iuris interpretes ample non stricte & proprie ius diuinum accipiunt. Id nimirum ius diuinum appellant, tum quod olim Iudæis Moses veteri lege imperauit: tum id quod noua lege Christus instituit. At Theologi, quod ad Cæremonias veteris legis spectat, Ius diuinum appellant verus & antiquum, quod olim iussu Dei seruari debebat, nunc non item, quia est Christi morte sublatum: nisi illud denuo Ecclesiæ præcipiat: & tunc non seruatur, quia lex antiqua iusserit, sed quia Ecclesiæ custodiendum sua auctoritate decreuerit.

Ius vero diuinum quod nunc obligat Christianos, vocant, quod præcepit Christus Dominus, aut quod ius naturale, & Deus ipse præscribit & imperant. Quo fit, vt tum dies festi, tum Dominici in Ecclesiæ seruentur, à vespera vsque ad vesperam, iure tantum Ecclesiastico, non Diuino. Et ideo consuetudine moribus vrentium recepta, dierum festorum initium, ac finis variari ac mutari queunt. Nec verum est, quod aliqui docuerunt aliorum dierum festorum initium & finem consuetudine existere à media nocte vsque ad mediam noctem proxime sequentem, dies tamen Dominicos & festos solemniores existere à vespera vsque ad vesperam, hoc est, ab occasu solis vsque ad alterum occasum: nec posse contrarium consuetudine induci: putant enim illi, iuris esse diuini, vt à vespera inchoentur, & in vespera finiatur: quod nos diffitemur. Sed id dicimus esse Canonici iuris: vnde fere vbique vsu receptum est, vt dies festi seruentur à media nocte vsque ad mediam noctem proxime sequen-

tem. Nauar. in *Manuali p. 13. num. 5. versic. ex quo inferitur, & num. 8.*

Decimotertio quaeritur, An iuris diuini sit, vt dies festi solemniores, cæteris, quales sunt Dominici, & alij dies festi Domino facti, colantur viginti quatuor horarum spatio, vnde cumque inchoentur, & vbicumque claudantur & desinant. Angelus in *verb. Dies in principio*, Silvester *verb. Dominica quæstione secunda*. Supplementum in *verb. Dominica*, aiunt, iuris esse diuini, vt vnde cumque dies festus incipiat: & vbicumque finiatur, duret saltem viginti quatuor horarum spatio. Cæterum id quidem nos fatemur Deum veteri lege iussisse. Sed illius legis cæremonia fuit, & prouide Christi morte abrogata: quare vt ait Tabien. in *verb. Dies num. 3.* Rosel. *Feria num. 4.* in Ecclesiæ iuris est tantum Canonici, vt dies festi viginti quatuor horarum spatio obseruentur, ac propterea consuetudine huiusmodi tempus minui, & augeri potest. Et ita paulo ante dixi, posse Ecclesiæ statuere, vt dies festus agatur à summo mane vsque ad meridiem tantum. Sunt igitur gentium, eraiatum & populorum consuetudines obseruandæ: sicut pro varietate regionum, & celebritate dierum festorum, à vespera in vesperam, aut à media nocte vsque ad mediam noctem coli & obiciuari solent.

## CAP. XXVII.

### De operibus, quibus est diebus festis super-sedendum.

ANotandum est, olim apud Romanos, etiam Ethnicos, mensis cuiusque dies, aut fuisse festos, aut profestos: vt tradit Macrobius *lib. 1. Satur. cap. 16.* & testatur Plutarchus in *Vitis, in vita Numa Pompilii*. Festi dies erant Deo dicati, profesti hominibus ad rem priuatam ac publicam administrandam concessi. In festis victimæ mactabantur sacrificia offerbantur, rebusque diuinis opera dabatur, fiebant epulæ, & ludi ac spectacula populo dabantur, & ferie agebantur. Epulæ ex pecudum & fenum proventibus fiebant: quo factum est, vt ferie dicti sint ipsi dies festi. Porro Ferie dicebantur, vel à feriendis victimis, vel ab epulis ferendis. Enim die festo forensium negotiorum, iurgiorum, & litium vacatio, in liberis hominibus erat: in seruis vero, immunitas operum & laborum: neque enim, vt diebus profestis ea à seruis domini exigebant. Vnde Cicero *lib. 1. de Diuin. & lib. 2. de legib. iuxta leges 12. Tabularum*, ait, *Ferij iurgium amouentur*. Et ideo voce præcens denunciabant, ne quid tale ferijs ageretur, & præcepti negligens multabatur, & ferias pollui dicebant, si quis diebus festis tale aliquid egisset. Scæuola Pontifex Maximus, eodem teste Macrobiolo citato, diem festum non putabat violari ac pollui, si quis vel opus ad Deum pertinens, factorumve causa fecisset, & aliquid ad vrgentem vitæ necessitatem respiciens facitasset: & conuictus quid diebus festis ageretur respondit: *Quod prætermisissimum, noceret*: vt si bos in specum decidisset, eumque patet familias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille qui trabem re-cti fractam fulciendo, ab imminente ruina vindicauit. Et hæc quidem scriptores Ethnici tradiderunt.

Primo quaeritur, Quot sunt genera Feriarum? Respondeo cum Glossa in *cap. Conquestus in verb. Quibus vtrique, de Ferijs*, tria esse. Aliæ sunt iure ciuili constitutæ, quæ à Macrobio, quem supra diximus, loco, vocantur Imperatiuæ, & extraordinariæ, & ideo ab Vlpiano in *L. Sed et si, §. si ferie. ff. ex quibus causis maiores*, dicuntur extra ordinem indictæ. Indicebantur autem, vt constat ex *L. omnes dies C. de Ferijs*, ab Imperatoribus ijs diebus, quibus vel lucis, & huius vitæ ortus, vel auspicia Imperij habuerant: Item in natalitijs diebus maximarum vrbium

Romæ & Constantinopolis: ob res quoque feliciter gestas, utpote ob solemnem Augustæ deductionem: ob filiorum natalem: ob victoriam insignem de vicis obtentam. Has ferias Iuris interpretes appellat repentinas, eo quod sint incertæ, & subito indicantur. Aliæ ferie dicuntur rusticæ & publicæ, eo quod ob rem rusticam, & utilitatem publicam conceduntur, nimirum pro messibus colligendis, & vindemijs faciendis, de quibus in *Conquestibus de ferijs. c. l. i. ff. de ferijs*. Aliæ, solemnes, quæ ad honorem Dei, & sanctorum hominum cultum & venerationem indicuntur, & de his ferijs in præsentī loco sermone habemus.

Secundo quaeritur, Quænam opera die festo iure fiant? In hoc conveniunt omnes, cessandum esse ab operibus, ac laboribus, quæ servilia dicuntur: à forensibus item causis atque negocijs: non tamen ab ijs operibus, quæ sunt propria hominum liberorum. Sed dubiæ est & incertæ quaestio, quæ sint opera propria liberorum, & quæ propria servorum, & quæ communia? Neque enim vere dici potest, omnia quæ ad corpus spectant, esse propria servorum: quæ ad animum, esse propria liberorum: quæ ad utrumque vero pertinent, esse communia. Multa enim corporis ministerio fiunt, quæ tamen non servorum sunt, sed liberorum: frequenter enim & ordinariæ, ut dicitur quæ corpori inferuntur, & quæ ad artes mechanicas pertinent, servorum propria censentur: Sed quamvis talia sint, die festo iure fieri queunt, quando cumque ob vigentem aliquam utilitatem animi, vel corporis nostri, vel alieni fiunt. Et hoc est quod non imprudenter ille Sæuola consultus, quid in ferijs facere nobis liceat, respondit, ut refert Macrobius lib. i. *Saturnal. c. 16. in Ferijs agere nobis licet, quod si intermitteretur, nobis vel alijs noceret*. Quo fit, ut in die festo agere, sine facere nobis sit, quæ victus quotidiani causa necessario fiunt. Nec enim damnantur macellarij, cauponæ, stabularij, qui cauponam, vel stabulum exercent; qui itidem panem, olera, fruges, legumina, fructus arborum, vinum, oleum, sal, & similia in foro vendunt. Qui item pastillos, & alios id generis cibos coquunt, & preparant. Insuper tuendæ, & conservandæ valetudinis causa, medici, chirurgi, phararmacopole, & aromatarij necessarij, culpa liberi sunt. Similiter gratia publicæ utilitatis, à culpa eximuntur cursores, muliones, agalones, nautæ, milites, etiam si machinas & tormenta bellica parent, ac similiter remiges: Præterea qui fornacem accendunt, vitrum constant, decoquunt lateres, calcem, tegulas: qui aggeribus, fossa, & vallo arces, vrbes, oppidave muniunt, & alia similia faciunt, quando in aliud tempus differri nequeunt sine graui damno & iactura. Pari ratione iustam merentur peccati excusationem pistores, quando tantus est dierum festorum concursus, ut pridie feriarum panis confici, & coqui commode nequeat: secus vero minime. Molendina quoque die festo permittuntur, publicæ utilitatis causa: item, qui segetes habent in agro, ne lædantur, tuta conscientia, parant, colligunt, & in horrea deferunt. Ob impendentem quoque ruinam domus, ob incendium, inundationem aquarum, naufragium, incurSIONem hostium, laborare conceditur: Tuta item conscientia pontes conficiuntur, viæ muniuntur, putei, portus, & fontes instaurantur causa publicæ utilitatis, cum in aliud tempus hæc nequeunt prorogari. Hæc omnia habentur ex S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. Cajet. *ibidem*, & in sum. verb. *Violatio festorum*, Antonij. *part. 2. tit. 9. cap. 7. §. 5. Silu. verb. Dominica. q. 5. Angel. verb. feria. n. 9. & seqq.* Nauar. in *Manua. c. 13. n. 6. 7. 9. & 12.*

Tertio quaeritur, An in diebus festis liceat literis studere? Antonij Butrij, ac quorundam aliorum fuit opinio in cap. *Omnes dies de ferijs*, nec ius nobis esse, præsertim quæstus & lucri causa: nec item fas esse Doctori, vel Magistro artem aliquam merce & stipendio docere. Sed veritas est, quod tradidit Panorm. in *eodem cap. citato*; cu-

ius sententia est communi consensu comprobata, licere nobis hæc duo facere: quoniam simpliciter, & per se non sunt opera proprie servorum. Nam litterarum studium & Magistri doctrina per se ad animum illustandum, perficiendum, & ornandum referuntur, & proinde quamvis quæstus & lucri causa fiant, minime redduntur servilia: alioqui enim nec liceret consilium mercede dare, nec stipendio conciones ad populum habere, nec Theologiam, aut Ius Canonicum profiteri. Idem docent Caietanus 2. 2. q. 122. art. 4. & in sum. verb. *Festorum violatio*, Sotus lib. 2. de *Iusti quest. 4. art. 4.* Nauar. in *Manuali cap. 13. num. 12.* quamvis cum Butrio sentire videantur Sylvester verb. *Dominica. q. 5. versic. Quinta. Angel. feria. num. 29. & 30. Rosel. feria. num. 9. & 10.* Sed reuera idem docent quod Abbas.

Quarto quaeritur, An die festo, vel Dominico liceat scribere præsertim lucri, seu mercedis, & stipendij causa? Duæ sunt opiniones; Prima affirmat, scribendi opus esse servile, quando cumque sit quæstus & lucri causa, secus, autem, quando tantum sciendi, aut memorie tuendæ & conservandæ gratia: quæ videtur esse Summistarum communis opinio. Sot. lib. 2. q. 4. art. 4. Richard. 3. dist. 37. art. 2. q. 4. Sum. Confess. lib. 1. tit. 12. q. 9. Angel. feria. num. 9. & 31. Rosel. feria. num. 12. Silu. *Dominica. q. 5. versic. Quinta. Pinnell. feria. Tabien. feria. num. 39. & 40. Asten. in sum. lib. 1. tit. 22. art. 4. & tit. 23. ar. 3. q. 5.* Horum opinio intelligitur in hunc modum: Cum quis locat operas suas ad scribendum, siue cum quis mercede conductus scribit, opus servile facit: non tamen cum scribit sine mercede, quamvis inde lucrum speret.

Secunda opinio negat tale opus esse per se, & simpliciter servile, sed liberale: & propterea tametsi fiat ob quæstum & lucrum atque mercedem, minime fieri servile, nimirum quia opus quod est per se liberale, merces non facit servile. Ac liberorum quidem hominum huiusmodi opus esse, constat ex eo, quod sit gratia iuvandæ memorie, addiscendi, docendi, concionandi, & disputandi. Ita sentiunt Caietanus 2. 2. q. 122. art. 4. versic. *Ad sciendum dubium dicitur*, & Nauar. in *Manua. c. 13. num. 14.* Sic etiam recentiores; Medina lib. 1. *Instructio. in Confessio. cap. 14. §. 8.* Ludouicus Lopez in suo *Instructorio Conscientia. c. 52.* Huic ego opinioni, ut quæ mitior & benignior esse videatur, libenter assentiret, si ratione satis firma, & efficaci probaretur. Etenim scribendi opus, ut paulo ante dixi, natura, & conditione sua servile non est, ergo etiam si fiat ob quæstum, in servile opus non transit, alioqui consilium alijs dare, aut alios docere Theologiam, Leges, aut Iura stipendij gratia, servile opus esset. Nihilominus primæ sententiæ adhaerendum puto: quippe quæ tutior est, & communi Doctorum consensu recepta. Nam etiam si dum scribis, ut memoriam excolas, augeas, confirmes, conserues, aut ut amicum, vel alium quemlibet absentem moneas, doceas, horteris, salutes, aut ut ipse discas, servile opus non facias: scribere tamen quæstus & lucri causa, servile opus est: non quod opus alioqui liberale per se in servile transeat, cum sit ob lucrum, sed quod scribendi opus sit quoddam genus, cuius sint duæ species: vna operis liberalis, altera operis servilis. Scribere causa sciendi, cognoscendi, docendi, discendi, liberale est opus; causa vero quæstus, servile.

Quinto quaeritur, An transcribendi opus sit in die festo licitum? Sunt etiam duæ opiniones: prima affirmat opus esse servile, & proinde prohibitum, quando sit causa mercedis: secus vero si absque vilo stipendio fiat. Sic illi quos superiori quaestione protuli auctores. Secunda opinio negat esse per se & simpliciter servile, sed liberale opus, ac proinde licitum esse etiam mercedis gratia factum: sic Medina, & Ludouicus Lopez. *locis supra citatis*, sed hi duo auctores meo iudicio nimiam in hac parte licentiam concedunt, siue permittunt contra communem Doctorum omnium sententiam. Mibi et-



go distinctione in hac re opus esse videtur. Sunt enim qui transcribunt sine vlla mercede, sola causa addiscendi, sciendi, docendi, concionandi, & augendæ, vel conseruandæ memoriæ gratia, & hoc opus seruire non est: sunt etiam qui transcribunt ex munere & officio suo libros, & horum opus arbitror esse seruire. Sunt alij qui chartas, aut alia quælibet scripta ex exemplari describunt, quales sunt ij, qui Romæ exemplaria transcribunt, & vulgari sermone Copijstæ vocantur; quorum opus per se & simpliciter esse seruire multi putant, & mihi magis, probatur: est enim transcribendi ars & munus mechanicum, non liberale. *Nauiar. in Man. cap. 13. num. 14. ait: Transcribere librum aut instrumentum, & transcribendo librum componere, seruire opus est, quia mechanicum & corporale: quamuis scribere non sit per se opus seruire, etiam si ob lucrum fiat.* Sic ille idem prorsus docet Caiet. 2. 2. *quæst. 122. art. vlt. Ad secundum dubium dicitur.* Ratio huius est, quia qui ex exemplari describendi munus, & officium exercent, id faciunt lucrândi, & victum quærendi causâ: ij, qui transcribunt quidem, sed non ex officio; id faciunt addiscendi & cognoscendi gratia, non quæstus & lucri causâ, illud primum mercenarium & seruire: hoc secundum, est opus liberale. Profecto hæc res, dubia, & incerta videtur: non enim id opus seruire audeo omnino condemnare; sed probabilius & tutius existimo esse, quod plerique docent, seruire id opus esse.

Dices, multi Romæ, id diebus festis, & Dominicis publice efficiunt, & tamen permittuntur impune. Meo sane iudicio fortassis illud quamuis sit alioqui opus seruire, necessitas, vel personarum, vel rerum & negotiorum excusat. Sunt alij etiam, qui hanc artem minime exercent, nec funguntur hoc munere, sed rogati tantum & requisiti, conciones, lectiones; & multa alia eius generis, mercede transcribunt: iuxta quorundam sententiam, huiusmodi actio non est sui naturæ seruilis: neque enim ars aut munus transcribendi est, sed opus causa sciendi, cognoscendi, & docendi. Quare eorum iudicio, Scholasticis non est prohibitum hæc & cætera similia in die festo etiam mercede, & stipendio transcribere, sicut nec famulis mercatorum, aliorumve aliqua transcribere, ad tuendam conseruandamve memoriam eorum, quæ in libellis, codicibus, tabellisve dominorum continentur. Ego vero hæc opera in die festo excuso à peccato, quia fieri solent necessitate cogente vel alicuius alterius causâ.

Sexto quæritur, An liceat alicui in die festo depingere? Dux sunt in idem opiniones. quidam enim censent esse per se opus seruire, si mercede & stipendio fiat, non tamen si addiscendi sciendi, animumve reficiendi gratia. Alij vero, vt Medina, & Ludouicus Lopez *locis supra citatis*, opus esse seruire, simpliciter dissentunt, etiam si quis faciat stipendio & mercede conductus: quia depingere, nihil aliud est nisi lineas ducere vel trahere, colores affingere, & figuras inducere; quæ sunt opera hominum liberorum. Certe negari non potest; pingendi artem esse mechanicam: & propterea aut is qui depingit, eam artem exercet, non vt addiscat, aut animum reficiat, sed vt artem exerceat, & mercedem comparet, & tunc id opus seruire facit in die festo prohibitum. Aut depingit gratia animum reficiendi, aut sciendi, & tale opus seruire non est, cum id non sit artem exercere, & mercedem quærete, sed animum reficere, instituire, & informare. Quicquid sit hoc, tura conscientia faciunt ij iuvenes, qui huiusmodi artem discendi cupidi, in ea loca se abdunt in diebus festis, in quibus sanctorum hominum imagines, aut Ducum, Imperatorum, Regum, & aliorum magnorum virorum effigies pulchre depictæ cernuntur, quas intentis oculis & animis intuitu pingendo imitantur. *Ang. Feria, numer. 31. Rosel. feria, numer. 13. Siluest. Dominica quæst. 5. vers. Quinta, Tabien. Feria III. 40. Armilla Festum n. 21. qui addit, opus seruire nõ facere eos*

qui describunt, vel designant in chartis ea quæ sunt postea fabricaturi: & puella, inquit, quæ vt addiscant, faciunt reclamaturas. Idem insinuat Caiet. in *Sum. verb. Festorum violatio.*

Septimo quæritur, An piscari, aucupari, & venari, sint opera seruilia, & die festo prohibita? Dux quoque sunt opiniones. Vna docet, quando cunque horum aliquid sit quæstus, lucrique siue mercedis causa, ita vt quis iuas operas locet ad aliquid horû, esse opus seruire: secus vero, si horum aliquid tantum causa voluptatis capiendæ & animum reficiendi fiat, Imo aliqui huius opinionis auctores asserunt simpliciter, venari, aucupari, piscari esse seruilia per se, alij tamen esse seruilia, quando sunt quæstus, lucri, & mercedis causa: conuenient omnes huiusmodi doctores, esse opera seruilia, quando sunt secundi generis. *sum. Confess. Angel. Rosel. Pisanell. Syluest. Tabien. Armilla.* Altera opinio nihil horum operum affirmat esse per se, & simpliciter seruire, etiam ob quæstum, lucrum, & mercedem. Sic docere videntur Medina & Ludouicus Lopez *locis supra citatis*. Sed etiam in hac parte legis & præcepti vinculum laxant plusquam par est. Dicendum mihi videtur, huiusmodi opera in die festo esse prohibita, quoniam reuera certa quadam alia operante cedentia, aut comitantia requirunt, quæ sunt natura sua seruilia: aucupium enim, aut venatio sæpe coniungitur cum alijs operibus laboriosis: ad piscatum vero retia parantur, tenduntur, reficiuntur, & lauantur. Item aliqui piscatu, & venatu viuunt, & piscandi ac venandi artem exercent: quæ opera negare nemo potest esse seruilia. Nec piscatus sit absque labore, ac propterea in *e. Licet, de ferijs*, causa imminētis necessitatis & vtilitatis permittitur certum piscandi genus, quod non nisi certo anni tempore soleant quidam pisces, in nostris littoribus inueniri. Verumtamen & piscari, aucupari, & venari præcise, vt sunt actus capiendi volucres, feras, pisces, nequaquam per se sunt opera seruilia, & cum sunt causa animi reficiendi absque magno labore & opera, non sunt in die festo prohibita: & hoc est quod prima opinio auctores docere voluerunt.

Octauo quæritur, An sit simpliciter opus seruire iter facere? Quidam affirmant, & proinde putant id esse in die festo vitium iure communi consuetudine tamen esse in hac parte iuri derogatum. Alij putant iter in die festo inchoare, & suscipere neminem iure posse, inchoatum tamen & susceptum tuta conscientia quemque continuare & perficere. Negant alij opus esse seruire ac propterea non solum consuetudine, sed etiam iure ipso licere cuique iter facere. Caiet. 2. 2. *q. 122. ar. 4. & Sotus lib. 2. de Iust. q. 4. art. 4. vsu & consuetudine Christiani populi hoc opus excusant, ac proinde videntur sentire simpliciter & per se opus esse seruire.* Angel. *seria, num. 5.* censet non esse interdictum. Sic etiam Rosel. *seria, num. 26. & Nauiar. in Manual. cap. 13. num. 6. versic. Diximus in oratione.* Ego vero probabilius cenfeo non esse per se opus seruire siue iter pedibus, siue equo fiat. Ex accidenti tamen potest etiam id esse in die festo prohibitum, vt si iter non sine magno labore & opera in ijs paradis, quæ sunt ad illud necessaria, confici nequeat: seruire enim opus est iumentis, curribus, aut plaustris onera imponere quæ deferant. Quicquid sit, vsu receptum est, vt in diebus festis iter fiat.

Nono quæritur, Quæ sint opera solo iure scripto in die festo interdicta? Respondeo, in *e. Omnes dies, de ferijs*, quatuor vel quinque numerari, videlicet, Mercatum, Placitum, Iudicium siue causa mortis, siue causa cuiuslibet alterius pænæ ciuilibus, Sacramentum, hoc est, Iusturandum in Iudicio interpositum, nisi causa communis salutis & pacis, vel alicuius alterius magnæ vtilitatis, & vt superius dixi, etiam olim apud Ethnicos in diebus festis non solum erat in seruis vacatio operum & laborum, sed etiam in liberis hominibus iurgiorum, litium, & omnium fontensum causarum.

Decimo queritur, Quid nomine Mercatus accipiat Ius Canonicum? Respondeo non solum nundinas, quae iussu Principum fiunt, sed etiam mercatus, qui certis hebdomadae diebus publice fieri solent, ac ceteras rerum etiam priuatas emptiones, locationes, permutationes, contractus, & negociationes. At vlti tamen, & consuetudine horum multa fiunt, videlicet bona defunctorum sub hasta diebus festis à prandio publicè præconis voce venduntur: quod vsus induxit, quoniam si alijs diebus venderentur, emptores desissent, vnde & vili pretio venirent. Deinde quamuis Pontificiæ Constitutiones extent, quæ in diebus festis nundinas prohibent, ne earum causa multi rem diuinam negligant: nihilominus tamen consuetudine fieri solent, ne si in dies tantum profectos differantur, rustici desint, qui non nisi diebus festis in vrbes & oppida venire consueuerunt. Item publice pignora & redditus beneficiorum Ecclesiasticorum de more alicubi locantur & conducuntur in die festo: nam si secus fieret, nulli aut pauci conductores adessent. Quo etiam fit, vt in hac parte futores, factores, & alij similes opifices salua conscientia, vendant rusticis calceos, aut vestes, & id genus alia, cum diebus profectis rusticis non veniant: quod si venire cogentur, suas res non sine graui iactura relinquere. Præterea, vt supra dixi, etiam more est alicubi introductum vt mirantur, siue deducantur equi, iumenta, currus siue laustræ vacuæ oneribus, in crastinũ diem ad onera deferenda, vel ad iter faciendum, & operarij etiam in crastinum ad vites putandas, ad vindemias, ad segetes merendas, vel ad quaslibet alias in die festo à prandio paulo ante solis occatum conducantur. Rogabis an lutos, vel factos, qui calceos, vel vestes vendit, similia videlicet opificum exemplo incitatus, tuta conscientia id faciat. Respondeo, id iure facere, & omni culpa vacare: tum quia ceterorum consuetudinem sequitur: tum quia si a vendendo desisteret, damno afficeretur, cum emptores eo neglecto & præterito, alium venditorẽ adirent.

Vndecimo queritur, Quid Placiti nomine veniat in iure Canonico? Respondeo venire quamlibet litem, iurgium, & causam forensẽ, quæ in iudicio agitur. Quæres, an etiam sit iure prohibitum in die festo Aduocatum consulere, cum Procuratore de lite priuatim agere, apud Iudicem totam causam referre, vt ea probe cognita sententiam postea commodius ferat? Respondeo, licere ea omnia acitate, quia ius solum prohibet, ne in iudicio causæ forenses agantur. Quæres etiam, an sit die festo interdictum creditori à debitore suo debitum exigere? Respondeo id ei minime licere in iudicio agere, bene tamen priuatim & remotis arbitris. Rursus quoq; & consuetudo obstat, vt in die festo ius rusticis dicatur, eo quod alio tempore in iudicio commode venire, ac testes accedere, & adhibere nequeunt. Ita Nauar. in Man. c. 13. num. 13. Caiet. 2. 2. quest. 122. artic. 4. Et in sum. verbo Esforum vlt. latio.

Duodecimo queritur, An sententia in iudicio lata, in diebus feriatis valeat? Respondeo minime, siue ius Canonicum, siue civile consideres. Nam in cap. vlt. de ferijs Gregorius IX. ait: vsq; adeo conuenit ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus etiam partibus, nec processus habitus tenent, nec sententia quam contingit in huiusmodi diebus promulgari. Et L. vlt. in die. C. de ferijs, Theodosius constituit, vt si in diebus festis aliquid in iudicio actũ fuerit, omnib. mod. irritetur. Cæterum vt Glossa, & Abbas annotarunt in cap. Conquestus de ferijs, excipiuntur quedam, in quibus hoc locum non habet. Nimirum, si res est petitura tempore, hoc est, si dilatio actionem sit peremptura. L. 1. §. Sed excipiuntur. Et solet. ff. de ferijs. Et significauerunt de iud. vtpote act. facti, iniuriæ, damni. Item pro pace & concordia iure permittuntur, quæ in iudicio aguntur. L. vltim. C. de ferijs; quæ sunt pacta, transactiones: cum etiam subest necessitas cap. vltim. de ferijs. Item si res exigit celeritatem, vt colligitur ex l. 1. ff. de damno infecto. Si pietas itidem suadeat. cap. vltim. de ferijs, vtpote causa de-

bilium & miserabilium personarum, vt ait Glossa. Denique licet in diebus feriatis adoptare, emancipare, manumittere, & ea facere, in quibus causæ cognitio non requiritur. Eadem ff. de ferijs. Sed animaduertendum est ea opera seruilia vel iudicialia, quæ leges permittunt. ff. C. de ferijs. in diebus festis, & sacris, eatenus fieri posse, quatenus Canonæ ea quoque permittunt. Ex cap. Conquestus de ferijs constat, vsque adeo conuenire ab huiusmodi abstinere: vt nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat, in solemnibus ferijs prætermitti debeant. Glossa in verbo pietas, proponit versus, in quibus continentur quæ permittuntur, nimirum.

*Hæc faciunt causas festis tractare diebus:  
Pax, Stelus admissum: Manumissio: Res petitura:  
Terminus expirans: Mora testis abesse volentis:  
Cumque potestatis patria ius filius exiit.*

Decimo tertio queritur, An Actus, in quo solum est voluntaria iurisdicctio, valeat etiam in diebus feriatis? Anton. Butrius in cap. Conquestus de ferijs censet non valere. Sed verius est quod docuit Panormitan. in eod. cap. valere quidem, quamuis iudex efficiendo peccet: nec enim in iure expressum est, irritos esse huiusmodi actus: quamuis Lex dicat: omnis vox iudicis silere debet tempore feriarum in honorem Dei. Idem sentiunt Speculator, sit. de ferijs. §. sequitur, num. 5. Hostien. Io. Andreas cap. vltim. de ferijs, Federicus cons. 11. 12. 13. Et proinde fas est excommunicare, & absolueri, vbi causæ cognitio necessaria non est, vt ijdem Auctores testantur.

Decimo quarto queritur, An testes recipi queant in diebus feriatis? Respondeo, non posse, quia priusquam recipiantur, & testimonium dicant, iurandum interponi oportet: quod tamen in diebus festis præstare, & adhibere ca. i. de ferijs non licet.

Sed quæstio est, an testes testimonium dicere queant, & testimonium valeat? Respondeo cum Speculatore, Ioanne Andrea, quos refert, & sequitur Panormitan. cap. 1. de ferijs in hunc modum: Primum testes recipiuntur, & iurant: inde examinantur, & ad interrogata respondent, & testimonium dicunt. Licet igitur in die non feriata testes recipere iuratos, & die feriata statim sequenti, si minus perfici examen non potuit, vel multitudine testium, vel articulorum possint testes testimonium dicere: nam testimonium retrahitur ad diem non feriatum, in qua delatum est iurandum.

Decimo quinto queritur, An citatio in die feriata ad diem non feriatum valeat? Hanc quæstionem late tractat Panorm. in c. Conquestus de ferijs numer. 19. Et seq. vbi refert sententias Cyni, Speculatoris, Ioan. And. Burr. Calderini, Bartoli. Concors est sententia, in citatione tres actus esse: præceptum de citando, executionem præcepti, qui est actus citationis, & processum vt vocant, qui vt citationis sit. Primum & secundum Cynus teste Abbate, ait posse fieri, & valere in die feriata, non tamen tertium. At Speculator, Ioan. And. Butrius, Bartol. Calderini, quos citat & sequitur Panorm. loco prædicto, nullum ex his tribus actibus valere affirmant, ea ratione, quod iure prohibetur citatio non solum ratione effectus, sed etiam ratione sui principij & originis. L. vltim. C. de ferijs dicitur: Taceat apparatus præconis, horrida vox silens.

Decimo sexto queritur, An citatio facta in die non feriata, ad diem feriatam valeat? Innocentius distinguit in c. vlt. de ferijs: Aut citatio concipitur his verbis, vt citatus sistat se in iudicio die Dominico, & non valet: Aut concipitur hoc modo, vt sistat se intra septem dies, aut ad diem septimum: & tunc si non venit ad iudicium die feriata, debet venire in die proxime sequenti, quia sunt duo præcepta, vnum vt in iudicium veniat, alterum, vt ad certum diem constitutum se sistat in iudicio: & quia venire nequit in die feriata, debet alterum præceptum seruare, vt

veniat in die proxime sequenti. Imo tandem concludit Innocentius: siue citato primo modo fiat, siue secundo, debet citatus venire in die sequenti, quoniam ibi duo præcepta continentur, & cum vnum impleri nequeat, oportet alterum præstari. Sed Cynus, Ioan. And. Calderin<sup>us</sup>, Speculator Cardinalis quos refert & sequitur Abbas, citatum in diem feriatam esse ad debere in Iudicio venire, quia citatio facta est ad tempus, in quo incipere iure non potest: & proinde opus esse, vt noua fiat citatio, cum prima facta fuerit contra leges & iura, & fuerit ipso iure irrita.

Decimo septimo quaeritur, Num in feriis obseruandis considerari debeat locus iudicis, an Actoris? Communis est Canonici iuris interpretum sententia, teste Panormi. in c. ult. de feriis num. 23. Iudicis, non Actoris locum perpendi oportere: nam vbi agitur de ordinatione iudicij, attenditur consuetudo quæ viget in loco, vbi illud fit, non litigantium: alioqui facile posset contingere, vt actor & reus duplicatis feriis vterentur, & suæ regionis & iudicis, quod videtur incommodum.

Decimo octavo quaeritur, An Litigantes possint renunciare feriis? Communis est opinio Canonici iuris interpretum, vt dicit Abbas in c. Conquistus de feriis num. 9. eos non posse renunciare feriis solemnibus, quæ sunt in honorem Dei & Sanctorum institutæ: nec item ijs feriis extraordinariis, quæ sunt in honorem Principum institutæ. Possunt tamen renunciare feriis causa vindictarum, & messium indictis. Quod enim iuris publici est, a solo Principe remitti potest: at quicquid potest iure, & re sua cedere, vtrumque colligitur aperte ex cap. vltim. de feriis, & Glossa eo loco, cuius sententia est, vt dixi, communi consensu recepta.

Decimo nono quaeritur, An cum Romanus Pontifex concedit priuilegium alicui, vt extra tempora à iure statuta, possit tribus diebus festis ad tres sacros ordines promoueri, nomine diei festi intelligatur dies, quem Clerus duplici officio celebrat, sed populus pro feriatâ die non habet? Respondeo, intelligi diem festum, quem vt feriatum Clerus, & populus habent. Auctorem huius non habeo, sed mihi videtur ratio hanc sententiam probare: quia vulgo dies festus is dicitur, quem pro feriatâ Clerus & populus habent: at Pontifex accipit diem festum in prædicto priuilegio, vt passim & communiter apud homines accipi solet. Loquitur enim, vt ceteri loqui consueuerunt.

## CAP. XXVIII.

## Quadam alia questionibus de eadem re diluuntur.

**A**N opera, quæ in die festo iure sunt, reddantur illicita eo ipso, quod sunt quaestus & mercedis, siue stipendij causa. Dux sunt opiniones: Prima affirmat, & est Richardi in 3. d. st. 37. ar. 2. q. 4. in verbo feriatâ n. 79. & 26. 27. 29. 30. 31. Ros. ver. feriatâ n. 7. 9. 10. 11. Sil. ver. Dom. q. 5. Suppl. Dom. Asten. lib. 1. n. 22. ar. 4. & n. 23. ar. 3. q. 5. Tabi. feriatâ n. 39. & 40. qui eo vnicò argumento permouentur, quod feruorum sit lucri, vel mercedis gratia aliquid efficere. A iunt igitur opus seruile esse triplex: vnum, ratione tantum materiæ: vt si quis terram arat, agros colat, portet onera; metat segetes; pietatis tantum studio & causa, videlicet, vt Ecclesiæ inferuat, vel al. cuius inopiam subleuet: ipsum enim opus quod fiet, est seruile, sius vero propositus talis non est. Aliud vero est opus seruile ratione formæ tantummodo: vt si quis, inquit, in literarum studia incumbat, alios doceat, consilium dat, scribat, pingat, iter, vt faciat mercede eonductus, quia ad hæc faciendâ suas operas locauit: hæc enim opera natura sua seruilia non sunt talia tamen redduntur ob finem, quia facta ob mercedem & quaestum. Aliud est opus, & ratione materiæ & formæ seruile, quia opus ipsum per se est seruile, & fit quæ-

stus & mercedis gratia; vt si agros colas, terram effodias, vites amputes mercede eonductus.

Secunda opinio tradit, nullum opus, quod sua natura & conditione liberale est, in seruile transire, eo solum quod quaestus mercedisve gratia fiat. Ita Caiet. 2. 2. q. 122. ar. 4. & in Summa verb. Festorum violatio. Sotus lib. 2. de iust. q. 4. ar. 4. Nauar. in Man. capitul. 13. numero 5. 11. 12. & 14. Ar. milla verb. Festum, num. 22. quorum opinio est longe probabilior & verior. Atque enim opus seruilia esse numerate, cantare, instrumenta musica pulsare, consilium dare, Theologiam, aut Leges, aut iura docere, pila ludere, quouisque mercede fierent actiones eiusmodi.

Secundo quaeritur, An opera, quæ corporis ministerio sunt, sint simpliciter seruilia. S. Thom. 2. 2. q. 122. ar. 4. ad 3. insinuat, eiusmodi opera esse seruilia, nisi ad spiritalem Dei cultum pertineant: sed plane non tradit, nec explicat ea enim vniuersum esse seruilia. Alia enim sunt quæ ad mechanicas artes spectant, & hæc sunt natura seruilia: alia ad liberales artes, quales sunt lineas ducere, figuras describere, canere sibus, pulsare tympana, literas scribere & quæ sunt generis eiusdem, & hæc non sunt simpliciter seruilia. Alia sunt, vt docent Caiet. 2. 2. q. 122. ar. 4. Sot. lib. 2. q. 4. ar. 4. Nauar. in Man. cap. 3. nu. 31. communia liberis, & seruicis, qualia sunt scribere, pingere, iter facere, piscari, venari, & hæc iuxta prædictos Auctores, non sunt in die festo interdicta, nisi quado sunt ex officio seruili & mercenario, aut saltem consuetudine permittuntur. De his supra tractaui.

Tertio quaeritur, An opera, quæ ad animum pertinent, sint liberalia, & non seruilia? Respondeo ex Caietano & Soto locis supra citatis præcise quatenus ad animum spectant, non esse seruilia: quare hoc ipsum, quod est artes mechanicas docere, seruile opus non est, quatenus animo fit, non corpore, speculatione, non actione & opere. Sed quia huiusmodi doctrina non discitur, nisi exercitatione & vltimum mechanicarum artium opus est seruile; in ideo docendis artibus mechanicis opus seruile admitteretur. Opera itaque animi, vt ad animum pertinent, potius libera lia, quam seruilia censentur.

Quarto quaeritur, An opera quæ olim veteri lege erant in diebus festis prohibita, nunc quoque in diebus festis, quos colit, & obseruat Ecclesia, prohibeantur? Respondeo minime Sic docet S. Thom. 2. 2. q. 122. ar. 4. ad 4. cuius sententia est totamuni consensu recepta. Nam in Sabbato erat verum cibos coquere, ligna colligere, iter facere, emere & vendere etiam necessaria ad quotidianum usum, quæ diebus festis nunc ab Ecclesia permittuntur.

Quinto quaeritur, Quibus de causis opera alioqui seruilia in die festo sint iure citra peccatum lethale permittenda? Respondeo, multis de causis, ac primum quidem, quando opus quod fit, est paruum & exiguum hinc est, vt iure tonfor barbam vnus radat, aut tondeat, plurium vero hominum non item. Siceriam furor, vel sartor diem festum grauius polluere minime videtur, si vnum par calceorum aut vestitum vendiderit: secus si sapius in die festo id fecerit. Quæres, an qui absque iusta & legitima causa per vnum, vel duos, vel tres quadrantes horæ laborat in die festo, lethaliter delinquit? Respondeo ad hoc minime: nam sicut operis exiguitas lethale peccatum excusat, sic etiam temporis breuitas. Si quis enim per vnus horæ quadrantem aliquid operis efficiat, in lethale peccatum non incurrit; quauis leue & veniale delictum admittat. Caiet. 2. 2. q. 122. ar. 4. & in Summa verb. Festorum violatio Angel. feriatâ, num. 8. & 10. Sil. Dominica q. 4. ar. 5. Nauar. in Man. c. 13. n. 5. 8. & 9. Si autem notabilem diem partem in opere seruili colat, lethali crimine obstringit, ac poluit. Quod si quæras, quora pars seu quantitas diei sit notabilis? Respondent quidam, talem esse vnus integræ horæ spatium. Alij vero in vniuersum aiunt, notabile partem totius alicuius esse tertiam: quare nisi quis ad tertiam diem partem labore, lethaliter minime delinquit. Improbabilis sane hæc

cunda videtur opinio, nec video cur cæteris probetur. Nam nimis indulgeter & laxè tertiam dici partem concedit laborantibus. Existimo non esse à prima sententia recedendam; & horam vnam, esse partem diei notabilem. Secundo ea opera in die festo licet facere, quæ simpliciter, & per se sunt cum ipso cultu diuino coniuncta: Sicut olim in veteri Hebræorum populo infans in die festo circumcidebatur, si in octauam à naturali diem incidebat, victimæ immolabatur, arca fœderis humeris portabatur. Eodem quoque modo in diebus fastis, cum sunt publicæ supplicationes, ligneum Crucis vexillum gestatur, sanctoꝝ quoque imagines circumferuntur, arca campanæ pulsantur. Hæc omnia ex S. Thoma & Caieta. 2. 2. q. 122. art. 4. Est autem annotandum, inter huiusmodi opera quæ diximus, esse nonnulla, quæ non per se cultu diuino coniunguntur, sed ipsum antecedunt: & hæc proxime ante diem festum fieri debent. Si autem ob continuum dierum festorum concursum fieri pridie festi diei commode nequeant, aut per se cordiam & negligentiã prætermittenda fuerint, iure in die festo fieri queunt: cuiusmodi sunt templi scopis mundare, altaria ornare, parietes aulæis, peristylomatibus & tapetibus inlitterare, Sotus lib. 2. de iust. q. 4. art. 4.

Tertio, causa pietatis & charitatis in proximum, opera seruilia in die festo, iure permittuntur: hæc enim ratione, multa Medicis & Chirurgis iure permittuntur, ut ægrotis medeantur. Sed dubie quæstio est, an causa miserabilium personarum, vel Ecclesiarum indigentium opera seruilia in die festo sine iure permittantur: Caiet. 2. 2. q. 122. art. 4. & in Sum. verb. Festorum violatio, Sotus lib. 2. de iust. q. 4. art. 4. Nau. in Man. cap. 13. num. 4. Artil. num. 20. id negare penitus videtur. At Siluester verb. Dominica q. 4. Angel. feria num. 28. & 30. Antonin. 2. part. tit. 9. ca. 7. §. 5. plane docent, communem esse sententiam, ea opera iure permitti. Hæc enim ratio hæc est, quæ est pontem reficere, viam munire, vt communi viatorum commode consulatur: existimo tamen, eos Auctores facile conciliari, si dicamus, Caietanum, Sotum, & Nauarum id solum inuere voluisse, opera seruilia non præcise ea ratione licere facere, quia fiat causa Ecclesiarum, aut miserabilium personarum, hoc est, non esse huiusmodi opera iure permittenda, si fiat, quando Ecclesiæ, vel miserabiles personæ non indigent, quod nemini hæc. Cæteri vero docent, diem festum huiusmodi operibus non pollui, si sint pietatis tue, & conferuntque gratiæ: hoc est, cum pietatis officium alteri debetur, & quod nostra opera, & auxilio indigeat. Sic plaustris, & curris, saxa, aut ligna deferuntur, quia his ædes sacra egrotat, & e diebus profectis deportari commode nequeant. Si reges autem liceat, huiusmodi opera adicere, etiam publici ornamentis gratia; vel vt cum publici ludi fiunt, aut ipectacola in Republica dantur, vt populus recreetur, quæ nisi fabri tabulata publica extruxerint, & theatra apte apparatuserint, in die festo nequeunt commode fieri. Si reges, inquam, an cura conscientia fabri eo die tabulationes & his similia construunt? Respondeo, videndum esse, an ea in die profecto fieri queant, & tunc temporis fieri debent: si min⁹, in festo die liberum est ea facere. Id enim publica utilitas suadet. Spectacula siquidem publica dantur, & ludi publici fiunt, vt populus aliquantum oblectetur.

Quarto; necessitatis etiam causa multa opera seruilia iure permittuntur in die festo: porro necessitas est propria cuiusque, vel aliena: priuata item, vel publica. Rursus est corporis, vel animi. Non enim tam seuerè Ecclesiæ prohibet opera in die festo seruilia, vt velic ea cum aliquo nostro rerum damno prætermitti à nobis. Est etiam annotandum, Necessitatis etiam nomine intelligi vim nobis illatam, aut metum grauem extrinsecum in eum, vt si quis vi aut metu mortis in die festo efficere seruilia opera compellatur, non in odium, & contemptum Ecclesiæ. Verum id merito dubitatur, an seruus, qui iussu Domini seruile opus effecerit, vacet omni culpa? Communis opinio est, vt supra dixi, Theologorum id affirmantium. Quam docunq; nisi domino pareret, sibi noceret: secus veto,

minime, tunc enim potius Ecclesiæ, quam domini præceptum seruate debet Caietan. 2. 2. quest. 122. art. 4. Antonin. 2. part. tit. 9. ca. 7. nu. 5. Angel. feria, nu. 19. Rosci. feria, num. 23. & 24. Nauar. in Manuali, cap. 13. numer. 7. Quo fit, vt serui, vt plurimum in hac parte non peccent, quia nisi domini iussa, & imperata facerent, vel debitum sibi stipendium amitterent, vel à famularu remouerentur, vel domo excluderentur, & alium herum, ac dominum cui inferrent, non facile reperirent. Si vero serui, aut famuli à dominis cogantur in die festo opera seruilia facere in contemptum Ecclesiæ, tunc nullo modo parere domini iure queunt, etiam si metu mortis cogentur, vt iisdem Auctores testantur.

Quinto, consuetudine multa opera seruilia in die festo iure fiunt, vt paulo ante dixi. Item, vt ex ea licet de feriis constat, aliquando seruilia opera in die festo permittuntur, ne quæstus, & lucrum amittatur. In eo enim capite, piscatus conceditur, eo quod certum piscium genus, non omni, sed aliquo duntaxat anni tempore ad littora nostra accedere soleat.

Postremo auctoritate Ordinariorum opera aliqua seruilia in die festo permittuntur. Ordinarij enim locorum, auctoritatem habent, non quidem è medio tollendi dies festos, qui iure communi sunt instituti, sed huic, vel illi facultatem concedendi, vt seruire aliquod opus in die festo possit efficere. Anton. secund. p. ritul. 9. capit. nono. Siluest. Dominic. questione sexta & quart. Nauar. capitul. 13. numero decimo sexto. Sciendum est, oportere legi iuram causam subesse, vt eximat Episcopus aliquem a lege, dies festos colendi: ea autem potest vel semel, aut raro, vel crebro continere. Si primo modo, satis est si Episcopus semel tantum legem relaxet: si secundo, tunc potest sæpius aliquem lege soluere. Verbi gratia; in aliqua dicecesi quorannis rustici detrimentò magno afficiuntur, si in die festo sancto Laurentij seruilibus operibus superfedeant: potest Episcopus facultatem concedere, ne rustici quorannis eo die ob huiusmodi operibus desistant, & vacent, vt damnam & incommodum deuitent. Ordinarij locorum quoniam intelliguntur, explicat Glossa in cap. Quamquam de v. suis in verbo loci Ordinario in 6. & in 6. Ordinario de offic. Ordinario in 6. in verb. locorum. Intelliguntur enim iure communi Episcopi, & ij, qui habent consuetudine, vel alio modo iurisdictionem Episcoporum, cuiusmodi sunt Praelati Episcopi inferiores. Tales etiam sunt Praefecti locorum in Religiosorum ordinibus, quod atinet ad Religiosorum potestati subiectos.

Annotandum quoque, dies festos, alios esse qui iure communi coli, ac seruari debent, alios vero, qui constitutione aliqua Synodali sunt instituti, & decreta. Quoad primos dies festos atinet, Episcopus auctoritatem non habet eos abrogandi, aut ab eorum lege aliquem soluendi: nisi aliqua iusta subit causa id faciendi. Alio qui enim tunc ipse Episcopus eximendo aliquos sine debita causa à iure, peccabit: tum ij qui exempti sunt & facultate vtuntur sibi concessa. Inferior enim in superioris leges, & iura non habet auctoritatem. Si vero dies festi tantum constitutione Synodali, aut consuetudine ciuitatis, vel populiferentur, liberam habet Episcopus potestatem eos in totum, vel ex parte abrogandi, & etiam si absque iusta causa ab ea lege aliquos excipiat, non peccat lethaliter, qui ab utroque hæc facultate sibi ab Ordinario data: quamvis peccet Ordinario, qui legem à se latam sine iusta, & debita causa relaxat.

Sexto queritur, Iusne Parochus habeat soluendi aliquem lege de die festo colendo, Respondeo ex parte, non omnino, & simpliciter habere: nam vbi quis commode Episcopum adire nequit, Parochus iure facultatem concedit, vt ille ad tempus ea lege soluatur iustam ob causam: non tamen potest facultatem in perpetuum dare: vt Caietan. 2. 2. quest. 122. art. 4. Angel. feria nu. 35. Siluest. Dominic. quest. 4. tradiderunt. Animaduertendum item est, vbi cuiusque talis causa manifeste constiterit, quam diximus, vt quis ab hac Ecclesiæ lege eximatur nullam requiri Episco-

pi vel Parochi facultatem secus vero quando dubia, & incerta causa bona fide esse videatur.

Septimo quaeritur, Quenam virtus violetur, quando opus feriale in die festo sine causa legitima fit? Respondeo violari religionem. Lex ipsa Ecclesiae q̄ praecipit, vt dies festos ab operibus ferilibus abstinentia colantur, eo ipso huiusmodi actum in specie religionis constituit. Quare sicut qui die festo sese ab operibus ferilibus continet, religionis officium praestat sic e contrario, qui opera ferilia facit, religionem negligit, ac violat.

Octavo quaeritur, Quando dies festi agi & coli debeant? Respondeo quod pertinet ad cessationem operum ferilium, & rei divinae auditionem, dies festi coli debent eo die, in quem eorum anniversaria celebrata incurrit: quamuis tota praecationum & diuinorum officiorum ratio, quae in diebus festis lege Ecclesiastica obseruatur, in alium diem aliquando Ecclesiae instituta & more transeri soleat. Ex quo fit, vt peccatorum condonationes, quas indulgentias vocamus, Rom. Pont. in beneficio in certo die festo concessit, & die mensurae festi ascribuntur, in quem anniversaria illius diei festi celebrata incurrit, non autem eo die, in quem diuinae praecationes, & officia transferuntur.

Nono quaeritur, Vnde, & vbi incipiant, & finiantur dies festi quatenus vi & necessitate legis opera ferilia praetermittere cogimur? Supra capitul. 9. questione 13. tractauimus questionem, vnde, & vbi incipiant, & desinant dies festi solemnes: nunc quaestio est generatim de omnibus festis. Ratio dubitandi est, quoniam in e. Omnes dies, de feriis, perspicue traditur, [omnes dies Dominicos a vespere in vespere, id est (ab occasu solis vsque ad alterum occasum) cum omni veneratione decernimus obseruari, & ab omni illicito opere abstinere.] At in cap. Quoniam de feriis, Alexander III. ait: *Licet scriptum sit: A vespere in vespere celebrabitis sabbata vestra; feriarum tamen principia & fines, iuxta forum qualitates, & diuersarum regionum consuetudinem debet attendi, & sicut magnitudo dierum exigit, prius incipere, & tardius terminari.* Hinc factum est, vt quidam, inter quos est Rosella, feria numer. 5. asseruerint, eorum officium consuetudinem, qui pridie Dominicae dici post solis occasum laborant, iure excusari non posse: tum quia eiusmodi consuetudo eum in cap. Omnes dies de feriis aperte pugnat; tum etiam, quia consuetudinem non inducit certa quaedam hominum societas, sed tota, aut maior populi pars. Quam sententiam merito alij confutant, vt dixi cap. 9. questione decima; nempe consuetudo saepe legi & iuris scripto derogat. Deinde in cap. Quoniam de feriis dicitur, dies festos inchoari, ac finiri pro variis consuetudinibus regionum. Postremo in vao eodemque oppido vae sunt consuetudines pro diebus opificum, & mercatorum societatibus. Siluest. autem in verbo, Dominicae questione secunda, Angel. in verbo, dies, in principio. Suppl. in verbo, dominice, distinguunt in hunc modum: Aut dies festi sunt iuris diuini, qualis est dies Dominica, Natalis, Epiphania, Pentecoste, & Ascensio Domini: aut sunt iuris Canonici, quales sunt, inquit, ceteri dies festi. Si sint primi generis, quamuis citius, aut tardius inchoari queant, quam sit solis obitus, spacio tamen viginti quatuor horarum agi, & coli debent, ita vt toto eo temporis intervallo ab operibus ferilibus desistamus: nam iuris diuini est, vt diebus festis diuinitus institutis toto tempore a vespere in vespere, hoc est, spacio viginti quatuor horarum feriemur. Si vero sint festi dies secundi generis, non solum citius & tardius incipere & terminari queunt: sed etiam multo in priori tempore, quam spacio viginti quatuor horarum obseruari possunt. Quare ea. Omnes dies, de feriis, interpretatur Siluest. de diebus festis primi generis, qui diuino iure celebrantur: cap. vero Quoniam de feriis, ait locum habere in diebus festis secundi generis, qui iustitio Ecclesiae colantur, in quibus principium & finis pro diuerso generis, aut ciuitatis more variatur. Ceterum contra Siluestrum & alios dicendum existimo, omnes dies festos iuris esse Canonici, & iure Canonico viginti quatuor ho-

rarum spacio coli debere: & proinde non solum citius & tardius inchoari & finiri, sed etiam pro varia consuetudine absque peccato, multo minori tempore, quam spacio viginti quatuor horarum agi & coli: ita vt vbiq; sit gentis, ciuitatis, vel populi consuetudo seruanda. Et hoc est, quod simpliciter, & absolute in ca. Quoniam de feriis dicitur. Id vero quod dicitur in e. Omnes, nimirum dies Dominicos a vespere in vespere celebrari debere: locum habet in ijs locis in quibus eiusmodi consuetudo viget, & Synodus id definit, quoniam voluit, vt dies Dominici in Ecclesia celebrarentur instar dierum festorum, quos lex antiqua constituit. Vbiq; vero feru vltimum receptum est, vt dies festi media nocte vsque ad mediam noctem proxime sequentem colantur.

Decimo quaeritur, An si quis iudicia re diuina, totum diem festum in varijs, & otiosis operibus transigat, speciale peccatum adintra contra dies festi facultatem? Et vniuersae quaeritur, An tale peccatum in die festo committitur, si speciale delictum, quo dies festus violatur, duxerit opinionem: Vna docet esse speciale delictum, & necessarium in sacra confessione declarandum. Sic Alex. 3. part. quest. 3. 2. 2. art. 4. Ang. feria. 36. & interrogatio. 2. 6. & verbo, praecipit. 2. 2. art. 4. Rotel. confessio. 2. 2. art. 2. part. 1. 2. cap. 7. §. 3. & 3. part. 1. 1. cap. 1. §. 1. ad finem. Lyan. Exo. cap. 20. sic e. iam vt de iudicio. 8. Thom. 2. 2. quest. 12. art. 4. ad 3. Altera opinio negat esse speciale peccatum, vt si quis in die festo peccet, vt perniciose mentatur, vel alium interimat, aut totum diem operibus poluat & violat. Ita Caecilius. 2. 2. q. 12. art. 4. Soc. lib. 2. de iust. q. 4. art. 4. & in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Siluest. in verbo, circumst. q. 3. & in verbo, Domin. 26. Tab. feria. 4. 7. & circumst. 11. Nauar. in Manu. 6. n. 10 & haec opinio est verior. Namque hoc praecipit solum imperatur, vt ab operibus ferilibus vacemus: & peccata non eo ipso quod peccata sunt, opera ferilia iudicantur.

Obijcies mentem legislatoris esse, vt a laborando cessemus, quo liberius & expeditius studium, vitam, & operam rerum diuinarum incumbamus: ac eulmodi studia magis impediunt peccatum, quam opus feriale. Et Augustinus ait: *Et approbat. S. Thom. loco praedicto, ait: Melius faceret iudaeus in agro sito aliquid vtilis, quam si in theatro sedisus existeret, & mulieris femine eorum in Sabbato lanam faceret, quam quod tota die in Noemem suis iudice saltarent.* Et Ambrosius scribit in Luc. 6. 13. *Lex in sabbato non vult honorari, sed feruilia opera facere: id est, peccatis grauari prohibet.* Respondeo praecipitur, vt legem non violari, nisi quando quis contra eius substantiam delinquit, quamuis legislatoris mentem & finem non feruet.

Vndecimo quaeritur, An liceat Episcopo subditis sibi hominibus facultatem in die festo laborandi concedere, eo pacto & legi, vt si liquid et ogerit in alios vsus pios: nimirum, vt aliquid impendat ad oleum emendandum, vel quippiam aliud humile, nobile & bonum ad eius templi, oratorij, vel facelli. Quidam simpliciter respondent id Episcopo licere facere, idque probant ex e. licet de feriis, vbi conceditur Parochianis facultas piscandi in diebus festis certum genus piscium: raro quotannis apparere soletum, ea conditione, vt factis adibus circumdantis, & Ecclesijs indigentibus, congruentem portionem reddant. Sed Glossa eo loco interpretatur eam portionem iniungi, quia erat tanquam decima praedialis, quae ex piscatu Ecclesiae parochiali debebatur, ac proinde nulla labellum simoniae habes, cum illud exigitur, quod aliqui iure debent. Mihi videtur absque simoniae vitio eiusmodi facultatem dari non posse: si pecunia aliudque temporum, cum commodum a Parochianis petatur, tanquam pretium datae facultatis. Et generatim Episcopi, aut alij Praesides Ecclesiarum ratione privilegiorum ad res spirituales pertinentium, quae aliquando solent sibi subiectis hominibus concedere, pretium exigere & accipere nequeunt: neque enim privilegia spiritualia precio vendi queant. Nihilominus tamen tas est Episcopo, dum modo alij non offendantur, id facere, quod in quaestione proponitur: nec enim facultate, aut privilegium

laborantibus in die festo vendit, sed cultum & honorem, quem Parochiani in diebus sacris, ac festis tribuere debent, in aliud opus pium & religiosum commutat: nimirum, ut aliquid erogent in aedum sacrarum vsus necessarios, & commodos.

Quæres, an ex lucro quod prouenit ex opere seruili factoin die festo ex Episcopi permissa, debeat aliquid elemosynæ in pios vsus erogari causa compensationis? Quidam senserunt erogari debere, quia in c. licet de serijs dicitur, vt talis elemosyna detur. Sed dicendum est cum Siluestro in verb. Dominica. q. 4. & cum Angel. verb. feria. nu. 35. id esse consilium, non præceptum.

An choreæ, tripudia, saltationes, ludi, spectacula publica, sint communi iure in diebus festis prohibita, in sexti præcepti explicatione dicemus.

Finis primi libri.

IOANNIS AZO-  
RII LORCITANI  
ESOCIETATE  
IESV

INSTITVTIONVM MO-  
RALIVM.

Pars Secunda:

LIBER SECVNDVS.

IN QVARTVM DECALOGI  
Præceptum.

Honora Patrem tuum, & Ma-  
trem tuam.

CAPVT PRIMVM.

De honore parentibus tri-  
quendo.



ACTENVS de ijs præceptis locuti sumus, quæ ad Dei charitatem, religionem, & cultum spectant: nunc de ijs agemus, quæ nos ad proximi charitatem erudiunt: quæ duo sunt illa præcepta, de quibus Christus Dominus dixit: Legem vniuersam in duobus esse positam, nimirum in Deo, & proximo diligendo. Et Ioannes Apostolus dixit: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Ita etiam, si patres quos secundum Deum amore prosequi & complecti debemus, non veneramus, & colimus, quos in conspectu nostro fere semper habemus: Deo summo parenti, & optimo, qui in aspectum oculorum nostrorum non cadit, quem honorè, quem cultum tribuimus? Ex quo perspicitur, vtraque præcepta inter se maxime conuenire. Fuerunt diuina Decalogi præcepta in duabus tabulis incisâ, in quarum altera tria illa continebantur, quæ sunt hæc tenus explicata: reliqua vero præcepta in alterâ tabulâ erant inclusa. Porro quid quid in sacris literis diuina lege, aut imperatur, aut vetatur id in his duobus præceptis continetur, quorum vnum oritur, ac pendet ex altero: aut enim erga Deum, aut erga homines omne charitatis officij spectatur. Et proximi charitas ex Dei charitate promanât & surgit. Charitatem in Deum, superiora tria præcepta docent, & continent:

Azor. Instit. Moral. Pars 2.

quod vero ad hominum beneuolentiam, conjunctionem & societatem pertinet, id reliquis septem præceptis iure præscribitur. Præterea charitas Dei ex ipso existit, & pendet: Deus enim per se, & propter se, non alterius rei causa summo est amore diligendus: at charitas proximi à charitate Dei ortum ducit, & habet, & ad eum tanquam ad certam regulam dirigenda est, & tanquam ad finem referenda. Nam si parentes charos habemus, si dominis paremus, si eos, qui dignitate, vel auctoritate antecedunt, reueremur, si denique proximos amamus, ea maxime præstandum est, quod eorum procreator est Deus, quod eos alijs præesse voluit, quod eos à nobis diligere, & amari iussit: gratia ipsorum non emolumenti, & commodi nostri causa. Cum enim apud Matth. 10. de obseruantia in superiores Dominus loqueretur, ait: Qui vos recipit, me recipit: Apollolus in Epistol. ad Ephes. seruos instituens: Serui, inquit, obedite Dominis carnalibus cum tremore, & simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculi seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi.

Primo quaeritur, Quinam parentum nomine hoc præcepto intelligantur? Respondeo cum Alex. par. 3. quest. 33. mem. 1. art. 1. præcipue eos intelligi, qui nos procreauerunt. Præter eos tamen significantur etiam alij, qui sunt nobis aliqua cognatione coniuncti. Item, Ecclesiæ Præsides, pastores, & Sacerdotes, patres dicuntur, vt constat ex Apollolo, qui ad Corinthios scribens ait: Non ut consendam vos hæc scribo, sed ut filios meos carissimos monco. Nam si diuolucim milia pedagorum habemus in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui: Et in Ecclesiastico scriptum est: Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Deinde ijs quibus aut imperium, & dominatus, aut Magistratus, aut potestas dicitur, vel commissa est patres appellantur. Sic Naaman à famulis suis pater vocabatur. Præterea patres eos dicimus, quorum procuratori, fidei, probitati, sapientiæ & curæ tradimur, & commendamur, cuiusmodi sunt tutores, curatores, pedagogi, & magistri. Etiam enim & Eliseum filij Prophetarum, patres vocabant. Postremo patres dicimus senes, & alios, qui sunt in ætate prouecta, quos etiam colere, suscipere & reuereri debemus: ita habet communis opinio apud Nauar in Manuali cap. 14. num. 3.

Secundo quaeritur, Quæ sint ea, quæ nos ad amorem in parentes excitare, ac mouere queant? Respondeo, multa præsertim ad diligendos eos, ex quibus orti, ac procreati sumus. Sunt enim Dei optimi & maximi parentis quasi quædam simulacra, & imagines: ab his vita nobis data est, his Deus vsus est, vt nobis animum impertiret, & mentem infunderet: ab his ad sacramenta deducti sumus, ad religionem, ad humanum civilemque cultum instituti; ad honores dignitatumque gradus euecti, literarum studijs informati, ad morum integritatem & probitatem eruditi. Porro in matre ea beneficia, & merita erga nos consideranda sunt. Quanta cura & diligentia, & sollicitudine nos in utero gestauerit, quanto cum dolore pepererit, quanto cum labore, & studio nos infantes & lactantes aluerit, paruulos educauerit, & infirmos virib. conseruauerit.

Tertio quaeritur, Quidnam appellatione honoris in hoc præcepto significetur? Respondeo, vt colligitur ex Alexand. 3. part. questione 33. & sancto Thoma secunda secunda questione. 122. articulo. 3. & docent Angel. filij num. 30. Siluest. filij quest. 22. Tabien filij quest. 16. Arnil. filius, num. 2. & 22. Nauar in Manuali, cap. 14. num. 4.

Quarto quaeritur, Quot & quæ virtutum officia in hoc præcepto contineantur? Respondeo in primis contineri per se, ac proprie pietatis officium, quæ est virtus, qua debitum honorem, cultum, & obsequium his deferimus, qui nos genuerunt: de qua virtute agit S. Thom. 2. 2. quest. 101. Deinde ad hoc præceptum renocantur ea virtutis officia, qua venerationem, honorem, & obsequium debemus his, qui sunt in aliqua dignitate, potestate, auctoritate, magistratu, & honore merito constituti, quique publico munere & officio funguntur: quam S. Thomas obseruantia appellat, & de qua agit in prædictâ parte quest. 102. Item &

G 3 ca of.

Mat. 10

Eph. 6.

1. Cor. 4

Ecclef. 44.

4. Re. 3.

4. Reg. 19.

Mat. 11

1. Jo. 4.